C
EMANUELE

NOTITIÆ ORBIS SACRI, & PROFANI

Ab ejus Exordio ad præsentia usque tempora

COMPENDIUM,

AUCTORE

VINCENTIO FUGA

In Seminario Patavino Historiæ, & Geographiæ Lectore.



PATAVII, Typis Seminarii, M. DCC. XV.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

B.FONS.AR.

DIVISIO MUNDI TEMPORUM.

UNiverſa Mundi tempora Sacri Scriptores ſeptem comprehenſa Periodis diſtinguunt : quas etiam Mundi Ætates appellant. Infantiam a Mundi exordio uſque ad univerſale Diluvium per annos 1656. producunt. Pueritiam a Diluvio uſque ad ortum Abrahæ per annos 382. Adoleſcentiam ab ortu Abrahæ ad ortum uſque Moyſis per annos 425. Juventutem ab ortu Moyſis ad uſque Samuelis Principatum per annos 476. Virilitatem a Principatu Samuelis uſque ad Babylonicæ captivitatis ſolutionem per annos 577. Senectutem ab ſoluta captivitate ad Chriſtum natum per an-

nos 536. Mundi denique extremo ſenio laborantis reliquum tempus ab ortu illo ſalutifero ad interitum uſque ipſius Mundi protendunt.

PRIMA MUNDI ÆTAS.

HAnc rerum Univerſitatem Deus Optimus Maximus, ubi producere ſtatuit, quamvis momento temporis totam ſimul creare poſ- An. Periodi Julianæ. 661.
ſet, per partes tamen * *ſex dierum* Mundi. 1.
ſpatio maluit elaborare. Omnium pri- * Quæſt. 1.
mùm Angelos, Empyreum Cœlum, Aquam, & Terram unà e nihilo condidit: duodecim intervallo horarum Lucem ex aquis, quæ immenſum inter Cœlum Empyreum, & Terram interjectum ſpacium occupabant, eduxit. Hæc ſuper faciem Abyſſi a Palæſtinæ Oriente cœpta diffundi, ſuperius hoc Hemiſphærium totidem horis percurrit. Altera die conſtipatis aquis, in medio earum Firmamentum efformavit, quod ſuperiores aquas ab inferioribus diſtingueret, & ne deorſum delaberentur, prohiberet: Cœlum nimirum, quod ſtellis inhærentibus ornatum conſpicimus unà cum aliis ſeptem inferioribus Orbibus, quos ſuo illud ambitu complectitur. Aerem quoque ex aquis produxit, & ex aere ignem, quibus re-

lictum a constrictis aquis locum; ne existeret vacuum, replevit. Tertia die inferiores aquas in locum suum congregari præcepit, in ea videlicet cava loca, seu sinus, qui, terra repente Divina virtute alibi sublata in colles, & Montes, alibi in Valles depressa, alibi in plana explicata, tum in ipsis terræ visceribus, tum extrinsecus extitere. Ex Aquis porro Terra, quibus ante undique circumfusa innatabat, in tres potissimum Maximas Insulas emersit, quarum prima, quam nos incolimus, in Europam, Asiam, Africam distincta, altera America, tertia Magellanica. Ampliora, & profundiora loca has inter Terras occupavit Oceanus, reliqua, in Mediis ipsis terris exorta, minora Maria, Lacus, Paludes, Stagna, Flumina. Inferorum quoque loca hæc terræ sublatio reliquit. Eodem tempore ex terra Metalla omnia, & cætera fossilia, omniumque lapidum genera producta. Hac eadem die eductam ex aquis, & patefactam terram Dominus germinare jussit, omni herbarum, frugum, & Plantarum genere. * *Tum ille extitit mitissima Cœli, solique regione Hortus, peculiari Divini Opificis cura ad omnem amœnitatem consitus, Terrestris dictus Paradisus, paratum homini mox formando habitaculum, & delicium.* Hunc Hortum cùm omnis generis arbores, plantæ, herbæ, miro ordine dispositæ, tum arbo-

* Quæst. 2.

arbores insignes duæ, vitæ altera, altera scientiæ boni, & mali nuncupatæ, virtutis unicæ, & pulchritudinis in medio collocatæ, nobilitabant. Ad hæc saluberrima aeris temperatio, uberrimique irrigatio Fontis, quem Scriptura ab aquarum abundantia fluvium appellat, qui, inquit Rupertus, in editiore ejus loco emergens, indeque defluens per plurimos circumquaque alveos ipsum Paradisum totum alluebat, donec pluribus rivis in unum versus quatuor Mundi plagas concurrentibus, quatuor in capita extra Paradisum distinctus, quatuor nobilissimos fluvios efformabat, Euphratem, Tigrim, Phison, & Gehon. * *Circa Mesopotamiæ fines Dominus hunc Hortum plantavit*, latitudine, si Abulensi credimus, duodecim mille passuum, ambitu sex & triginta mille. * *Hoc tempore non extare, Diluvii aquis, aliove casu dissipatum probabilius videtur*. Phison, & Gehon, mutato nomine, ignoti hodie latent. * *Nec Phison Ganges, nec Gehon Nilus*. * Quæst. 3. * Quæst. 4. * Quæst. 5.

Quarta die, quæ hactenus produxerat, & distinxerat, Dominus cœpit exornare; & Cœlos quidem Cœlestibus corporibus ex suorum Orbium materia efformatis, instruxit, Sole in primis, quem luce, prima die producta, perfudit, & Luna; quæ duo potissimùm non ornandis tantùm Cœlis condita, verùm etiam Aeri,

Aquis, Terræ viciſſim diu, noctuque illuminandis: ſignificandis item, ſimulque efficiendis variis Cœli quaſi affectionibus, pluviis, ventis, ſerenitati, tempeſtatibus (divinitus verò præmonſtrandis nonnullis humanis eventibus portentoſis, cujuſmodi Joſue mira victoria, Ezechiæ ſubita valetudo, Chriſti Domini mors horrenda) poſtremò univerſitati temporis diurno, menſtruo, annuo orbe diſpertiendæ, ipſique anno quatuor potiſſimùm tempeſtatibus ad vitam, victumque hominis accommodatè temperando.

Quinta die piſcium, & volucrum vario, ac prope innumero genere ex aquis producto aquatilem, & ætheriam ſedem replevit. Nec minorem, minuſque variam die Sexta copiam jumentorum, reptilium, ferarum e terra eduxit, terræque fecit incolas. Tum vero demum Univerſo ſuis partibus omnibus abſoluto ad condendum hominem cunctis Principem præficiendum ventum eſt. Corpus ei e luto finxit ipſe Dominus, Animam non ex ſubjecta excitatam materia, ut in aliis animantibus, ſed ex ipſo ſuo hauſtam pectore afflavit. Ex Terra porro rubra, quæ Adama Hebræis, appellatus Adam, quemadmodum poſtea Latinis ab Humo Homo. Locus ejus formationis incertus: Agrum Damaſcenum plerique tradunt: Judæi malunt terram ſuam. Statim ab ini-

tio

tio rerum tam naturalium, quàm quæ ſupra naturæ captum, cognitione Divinitus donatus, Gratiæ deinde, & Originalis Juſtitiæ excellentiſſimo munere cumulatus, in Terreſtrem Paradiſum deductus eſt. Ibi verò tanquam in Regia ſede collocatus, id primum Imperii ſui ſpecimen dedit, quòd animantibus coram productis nomina impoſuit. Sociam deinde ut haberet Adam hujus tantæ felicitatis, immiſſo Dominus in eum ſopore, ex ejus conſopiti latere coſtam eruit, quam cum Divina virtute amplificaſſet, efformatam inde fœminam in conjugem ipſi tradidit. Felix conjugium lætiſſima prole beandum, niſi recentem adhuc nuptiarum lætitiam luctuoſiſſimus ſtatim caſus fœdaſſet. Octavo quippe abhinc die necdum expleto, dum a Dæmone per Serpentem deluſi, divinam æquare boni, malique ſcientiam affectant, deguſtando interdictæ ſibi arboris fructu, mortiferum ſibi, & poſteris quaſi poculum propinarunt. Præcipuis itaque animi, & corporis bonis nudati, e Paradiſo deinde ejecti ſunt, violati præcepti multiplices pœnas daturi, omni ſpe ſibi præciſa per igneum Cherubin gladium beatam illam Manſionem amplius repetendi.

Paradiſo expulſi altero Mundi anno Cain ſuſceperunt, & deinde Abel. P. J. 662. Mun. 2
Cain agricola, pecudum paſtor Abel fuit. Integritate vitæ, atque inde

sibi conciliata Dei gratia Abel invisus fratri, ab eo peremptus est. Tanti sceleris pœnas & dedit ipse diuturnas vagus hàc illac, & profugus (alio nemine, quam suis illum furiis, agitante) & propagavit in filios, quos sui similes genuit, Deo invisos, dictos propterea in sacris literis *Hominum* filios, quos videlicet Pater Cœlestis minimè agnosceret suos; quemadmodum Sethi pro Abele mox nati posteros Religioni, & pietati deditos Filios *Dei* appellatos ibidem legimus. In primis verò Enosus ejus filius Divino cultui promovendo præ cæteris certis ritibus institutis incubuit. Hujus filius extitit Cainamus, qui genuit Malaleelem, patrem Jaredi. Henochus Jaredi filius, pietate omnium maximè insignis. Quamobrem Deo acceptus, adhuc vivus ex hominibus translatus est. Filius ejus Mathusala, qui ad annos usque nongentos, & sexaginta novem provectus, Patriarchas omnes vitæ diuturnitate superavit. Pater is Lamechi, ex quo ortus Noe, humani generis parens alter, morum commendatione, fama nominis, & insigni erga posteros merito clarissimus. Hic anno Mundi 1057. natus est, opportuno tempore, cùm videlicet Adamo jam defuncto, & Setho, hujus nepotibus cum Cainitis connubiis, moribusque consociatis, Mortales omnes in omne flagitiorum genus

sunt

ſunt effuſi. Horum vitæ peſſimæ Sanctiſſimus Patriarcha integritatem ſuam, & innocentiam per annos centum, & ſeptuaginta novem cum objeciſſet, Divinæ juſtitiæ deinde præco conſtitutus, increpationibus, & minis a ſceleribus eos revocare laboravit. Diluvium, quod univerſum terrarum Orbem inundaret, ſæpius comminatus, * *Demum intra centum, & viginti annos illud ſuperventurum denunciavit, nec illis amplius omnino vitę ad extremum uſque interitum ſupereſſe*. Poſt annos viginti Arcam familiæ ſuæ, & paucorum animantium ſaluti deſtinatam juſſu Domini fabricare cępit. Hæc trecentos cubitos longa, lata quinquaginta, triginta in altum aſſurgebat, quatuor in aulas triplici tabulatorum ordine diſtincta, quarum ima ſentinæ deſtinata erat, mediæ animantibus, & commeatui, ſuprema familiæ ſuæ, & volucribus. Centum annorum opera in id opus inſumpta. Arca abſoluta, elapſo quoque tempore peccatoribus ad reſipiſcendum conceſſo, in nequitia ſua illis perſtantibus, Dominus Diluvium toties per Adminiſtrum ſuum Noe intentatum immiſit. Abyſſi magnæ dirupti ab eo fontes, apertæque Cœli cataractæ illud effecerunt. Non ex terra rivi, ſed fluvii emanabant: non imbres ex nubibus, ſed flumina e Cœlo decurrere videbantur. Quadraginta diebus effuſi latè fontes, im-

* Quæſt. 6.

bresque continuati. Terræ campis occupatis, mox montes operuit: quindecim cubitis altissimos quosque
* Quæst. 7. montes superavit. * *Nullus Terræ Angulus uspiam communem evasit inundationem*. Solus Noe, uxor ejus, tres ejus filii, totidemque eorum uxores
P. J. 2316. cum paucis cujusque generis animan-
Mun. 1656. tibus arca inclusi, incolumes evase-
* Quæst. 8. runt: Omnia reliqua absumpta. * *Annus Mundi* 1656., *vitæ Noe* 600. *tum agebatur*.

ALTE-

ALTERA MUNDI ÆTAS.

Umanum Genus tantùm non Diluvio absumptum, & ad tam paucos redactum Tres Noe filii, Semus, Japhetus, & Chamus superstites propagarunt. P. J. 2317. M. 1657.
Paternam pietatem Semus præ cæteris fratribus imitatus est. Biennio post diluvium centenarius filium suscepit Arphaxadum, * *qui pater fuit Cainami, quem a Moyse omissum septuaginta interpretes suppleverunt*. Ex Cainamo ortus est Sale, pater Heberi, qui Hebræis nomen fecit. Heberus genuit Phalegum. Hoc nomine ille filium appellavit, quia ipsi natus, cum Noe filiis suis terrarum Orbem partiretur. * ***Hac terræ divisio ore tenus edita**, centum quadraginta quatuor circiter post annis reipsa perfecta est, cùm scilicet ejusdem Noe Nepotum linguas in turris Babelis constructione Dominus perturbavit*. In ea Orbis terræ divisione Noe, inquit Josephus, eumque secutus Divus Hieronymus, Semo natu maximo Asiam ultra Euphratem ad

* Quæst. 9.

* Quæst. 10.

Indicum usque Oceanum assignavit : Japheto alteri filio ejusdem partem ab Euphrate usque ad Hellespontum, & Europam: Chamo natu minimo Africam, simulque partem Asiæ ab Arabico sinu ad Amanum montem. Phalegus pater fuit Rhevii, qui genuit Sarugum; cujus tempore, inquit Epiphanius, per depictas imagines Idololatria in Orbem est invecta. Ex Sarugo natus est Nachor, ex Nachore Thare. Hujus dies multa illustrarunt, turris Babelis ædificatio, Linguarum confusio, Hominum dispersio, & Regnorum ortus hunc in modum. Noe filios, & nepotes ad profectionem in terras ipsis assignatas perpetuo urgente, cum ii parere tandem in animum induxissent, antequam alii aliò abirent, ex Armenia in Terram Sennar convenientes, Urbem ibi eximiam, & in ea Turrim, quæ immani mole ipsum minaretur in Cœlum excitandi libido incessit, insigne Posteris monumentum memorandæ illius ex una familia in omnes terræ partes Triplicis Coloniæ deducendæ. In ortu Thare id molitos, Epiphanius tradit. Viginti annos in insanum opus incubuerunt; quo jam in miram altitudinem quatuor milliarium, ut apud Hieronymum legitur, provecto, eos a vano opere ut Dominus avocaret, & demum ad destinatas sibi terras adire compelleret, injecta repente illis Nativæ, & communis familiis omni-

mnibus linguæ oblivione, cum alii aliter sua sensa referrent, rerum omnium perturbatio, & confusio facta est: unde Babyloni nomen. In Hebero tantùm, & Phalego inviolata, & integra prima illa permansit, quæ deinceps Hebræa ab Hebero est appellata. * *Anno Mundi* 1931. *post diluvium* 275. *id peractum*. Inde variarum ortus linguarum, quarum certum numerum scriptura nusquam docet. Ex numero familiarum filiorum Noe, quas Moyses commemorat, Sancti Patres præter antiquam * *unam, & septuaginta eas fuisse communi sententia colligunt*. Eo porro incommodo linguæ cum disturbata sibi repente divinitùs cernerent consilia sua, eo demum compulsi sunt, ut lingua dissociati, Regione etiam, & sedibus disjungerentur, & Provincias peteret quisque suas. Inde varia instituta Regna, & Imperia. Omnium clarissimum, & nobilissimum Assyriorum Imperium. Huic Nembrodus, qui Belus profanis scriptoribus, ex Chuso filio nepos Chami Babylone consistens, hoc ipso anno initium fecit. Primus is mortalium, quem tæderet æquo cum cæteris jure vivere, quique invideret generi suo communis usuram libertatis, pessimo exemplo occupatam Tyrannidem quinque, & sexaginta annos tenuit. Orta semel regnandi libido quem faciat crescendi finem? Ninus paterno Regno non

P. J. 2591. Mun. 1931.

* Quæst. 11.

* Quæst. 12.

non contentus appetit aliena: in tanta malorum segete novi in terris fator mali, hoc est Belli, invadit armis per vim apertam finitimas regiones; subactaque Asyria, caput ejus Assur magnificentius instauratam de suo nomine Ninivem dicit, eòdemque transfert sui Regni sedem.

TER-

TERTIA MUNDI ÆTAS.

P. J.

IMperii Nini anno quadra- 2719. Mun. 2039.
gesimo tertio * *Thare ma-* * Quæst.
gnum Patriarcham Abra- 13.
mum annum agens cente-
tesimum trigesimum pri-
mum in Ure Chaldæo-
rum genuit. Omine fausto, & vero Abramum, idest, interprete Hieronymo, Patrem excelsum, nuncupatum voluit. Quem porro filium natura, Religione Parentem habuit, quippe cujus opera ab idololatria ad veri Dei cultum perductus. Ea pestis per id tempus Babylone Belo patri erecto a Nino magnifico templo, institutisque sacerdotibus, & sacrificiis, maxima incrementa accepit. Annum trigesimum Abramus ingressus uxorem
duxit Sarai, * *filiam Arami fratris* * Quæst.
sui: Septuagesimum deinde natus, a 14.
Domino jussus patriam relinquere, unà cum Thare patre, & uxore, ac Lotho, fratris Arami filio in Haran,
sive Mesopotamiam venit: Quinque P. J.
annos ibi commoratus, vita functo 2774.
patre, in terram Chanaan ab eodem Mun.
est vocatus. Annum septuagesimum 2114.

sex-

sextum ingressus Chananæam, cujus mox terræ semini suo dandæ promissionem ab ipso Domino accepit, anno Mundi 2114. Exorta hoc ipso anno in Chananæa fame, in Ægyptum descendit: ubi ab egregia uxoris forma sibi timens, dum eam sub nomine sororis tegit, Pharaoni prædam objicit liberiorem: verùm ubi uxor noscitur, eam statim recipit ab Rege intactam Divina ope, & magnis muneribus cumulatam; reditque lætus post menses aliquot in Chananæam. At ecce nova turba ab Domesticis. Orta rixa inter Abraæ, & Lothi pastores, ipsos ne trahat in discordiam Dominos, & fortunis, & sedibus separantur. Tum Abraæ ejusdem terræ Chanaan divinitus renovata promissio. *Leva*, inquit ad eum Dominus Gen. cap. 13. *oculos tuos, & vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem: Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum*. Hanc iteratam terræ promissionem Abramo factam bellum ejus cum Assyriis excepit. Audito, Abramus, Chodorlahomorem, Ducem Ninyæ, qui post Matris Semiramidis Tyrannidem Nino Patri in Imperium successerat, devictis Pentapolitis cum cætera præda cuncta etiam Lothi nepotis, ipsumque cum tota familia captivum abducere, cum expedita servorum 318. manu ex con-

valle

valle Mambre, ubi prope Hebronem commorabatur, protinus insecutus Hostem, assecutusque apud Dan, nocte improvisus opprimit, cæsumque, aut fugatum præda, & captivis exuit, & ipse vicissim ingenti potitur præda. Redeunti læto victoria fit obviam Melchisedechus gratulabundus, cui Abram sibi a Deo fausta omnia rite precato ex universa præda solutis decimis rependit vicem. Hic Melchisedechus quibusdam idem cum Semo, * *nobis alius a Semo est*. Tum Abram veritus, ne Assyrii acceptæ dolore cladis aucti copiis in Hebron irruerent, & se suosque internecione delerent, illinc aliò migrare cogitavit. Id dum animo versaret, quintùm eum Dominus præsentia, & alloquio suo dignatus est, seque illi ipsum propulsatorem periculorum, laborumque amplissimam mercedem est pollicitus. Qua sane Dei benignitate tanta fidentior factus prolem ab eo cum petiisset, impetravit suo tempore obtinendam, & quidem tam læta sobole propagandam, ut numero carentis arenæ multitudinem exæquaret. Hanc porro solemnem prolis simul, & Terræ ejusdem incolendæ sponsionem isto Deus fœdere confirmavit. Is fœderis ritus. Arripiens, docente Domino, Bovem fœminam, Capram, Arietem trima singula cum turture, & columba jugulavit, & secuit media capite ad caudam. Eas verò

* Quæst. 15.

verò partes omnis generis monſtrato in loco ita diſpoſuit, ut relicto ſpacio medio ſingulæ ſingulis adverſæ reſponderent. Sub occaſum ſolis rediens Dominus, ubi diuturnam poſteris ejus peregrinationem, & afflictionem Abramo prænunciavit per ea verba, *Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijecent eos ſervituti, & affligent* 400. *annis* (quod annorum ſpatium ab Iſaaci ortu inceptum in egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto eſt abſolutum) tum inter diſpoſita utrinque ſegmenta animalium ſub ignis ſpecie pertranſiit ipſe, juſſitque poſt ſe & Abram eàdem tranſire: & tum demum rite ſancitum fœdus; qui ritus deinceps Hebræis in feriendis fœderibus ſolemnis. Anno undecimo, ex quo in Chananitide peregrinus Abram ipſius hortatu Sarai, quæ ad ſe ea pertinere jam deſperabat, annum agens 86. Agarem ancillam matrimonio ſibi junxit, quæ Iſmaelem ſequenti anno ipſi peperit. Ad centum jam provecto annos, ecce illi ſextò aſtitit humana ſpecie Dominus, & cum de reliquis, tum de filio ex Sarai quoque ſuſcipiendo ſuperiora promiſſa ita confirmavit, ut & infinitam ſpem certis anni proximi terminis defineret, & ipſum quo appellaretur, Iſaaci nomen, lætiſſimum a riſu ductum dictaret. Cui ſane tam lætæ Nuncupationi ipſos voluit Pa-

ren-

rentes statim quasi præferre omen, jubens alterum quidem non Abram, sed Abraham, idest Patrem multarum gentium, alteram verò non Sarai amplius, hoc est, Dominam meam, sed Saram, idest Dominam dici. Tum ut & præteritum cum eo sanctiùs firmaret fędus, & Divinæ ex ejus semine propagandæ sobolis, Messiæ videlicet sacraret originem, novo Circumcisionis mysterio Abraham initiari jussit: statimque ille intra ipsum diem se, suosque omnes eo sacro rite expiavit. Eodem anno Angelos ad incendendam Pentapolim divinitus missos, hospitio, & convivio excepit. Ex illo incendio ereptus est Lothus, non item uxor, quæ aliorum contra vetitum respiciens supplicium, non prospexit suum; conversa repente in statuam salis. At Lothus primùm in Urbem Segor, quam imminenti Cladi precibus exemit; inde vicinum in montem subiit, ubi per noctis, & ebrietatis tenebras nulla discrimina pudoris servavit in Natis duabus, ex quibus nati sunt illi Moab, & Ammon, infamis, & fœdo incesto digna Proles: qui Moabitas & Ammonitas, propagarunt. At Abraham anno, qui est insecutus, cum in Geraris peregrinaretur, tandem aliquando Isaacum ex Sara suscepit. Post aliquot annos huic insultantem Ismaelem unà cum Agare Matre domo expulit. Insigne deinde obedientiæ,

tiæ, & fidei teſtimonium ut Orbi relinqueret, filium ſuum Iſaacum, annum tum agentem 25. in Monte Moria immolare juſſus eſt a Domino; quod peragere deinde prohibitus, ejus loco arietem ab ipſo ſibi præparatum obtulit. Secundum hæc vita functa Sara Iſaaco quadrageſimum annum agenti in uxorem data Rebecca, filia Bathuelis, ejus ex fratre Nachore nepotis, ipſe Cethuram duxit, annos natus centum & 40. ſex ex ea filios ſuſcepit Zamran, Jecſan, Madan, Madian, Jeſboc, & Sue, quos deinde ab Iſaaco ſeparavit, atque in Arabiam ad habitandum miſit, bonorum ſuorum parte impertitos. Rebecca poſt viginti ſterilitatis annos eodem partu Eſau, & Jacob Iſaaco peperit. Ingreſſus annum centeſimum ſeptuageſimum quintum Abraham Berſabee mortuus eſt, quem Hebronem filii delatum in ſpelunca duplici prope Saram magnifico funere ſepelierunt.

Poſt patris obitum in Chananæa Iſaacus quoque vagus fuit. Eſau fratri ob ſibi ſurreptam paternam benedictionem infenſo, & mortem minitante, ad Labanum cognatum, in Meſopotamia, Jacobum miſit. Annum ſeptuageſimum octavum tum Jacob agebat. Ejus itineris moleſtiam ſolatus Dominus, objecta illi per ſomnum ſuimet imagine incumbentis ſcalæ, quæ ad Cœlum uſque pertingeret, & per quam Angeli ſus, deque commearent.

rent. A Labano avunculo benigne exceptus, at iniquissi.ne tractatus. Pro filia ejus Rachele septem annorum famulatum cum eo pactus, elapso septennio, Lia filia natu majore, sed forma deteriore per fraudem ipsi supposita, Rachele non ante potitus, quam totidem annorum novum famulatum pollicitus. Ex his, & earum ancillis duabus Bala, & Zelpha, duodecim filios, & unam filiam suscepit. Ex Lia Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, Zabulon cum Dina filia: Ex Rachele Josephum, & Beniamin, ex Bala Rachelis ancilla, Dan, & Nephtali: ex Zelpha ancilla Liæ, Gader, & Asser. Labani perfidiam non solùm in ejus filiarum nuptiis cognovit. Evoluto altero quoque Orbe septenario fœdifragum rursus expertus. Cum enim Labanus Jacobi apud se retinendi causa, cujus merito fortunare Deum sua omnia satis cernebat, ita cum eo pactus esset, ut qui fœtus ex ovibus, aut capris unicoloribus vario colore nascerentur, ipsi in mercedem cederent, cumque nova, & divinitus monstrata industria, objectis videlicet Gregi in canalibus, ubi coirent, priore præsertim anni vice virgis, detracto ex parte cortice, variam speciem referentibus, plurimam sibi fœtus partem, & quidem primi, ac generosioris, Jacobus variaret, perfidus ille pecoris proventum Genero invidens, suam cum illo

pacti

pacti conditionem commutavit: ut sibi discolores, illi unicolores fœtus nascerentur: at iterum elusus minore utique parte sobolis, citra virgarum artem degenerante ab uno colore stirpi, frangere rursus commutato pacto fidem non est veritus, rursusque ab Jacobo adhibitis virgis, spe frustratus, jam tertiò conventa commutavit, neque ante destitit alternis variare, quam decem per sex annos expletis vicibus. Jacob tantam nequitiam ejus demum pertæsus, satisque jam ditatus vigesimo ab inchoato famulatu anno, ætatis verò 98. clam in Chananæam rediit. In itinere novum Israelis nomen adeptus est; quod ei Angelus imposuit, in lucta ab eo superatus, quasi contra Deum fortis extitisset, adversus Esau, quem metuebat, animaturus. Anno undecimo ab ejus e Mesopotamia reditu ad Patrem, quem sæpe interim ipse inviserat, universam familiam adduxit. E Geraris profectus, in Convalle Mambre prope Hebronem tum Isaacus morabatur: Eodem anno Josephum, quem præ cæteris filiis diligebat, distractum luxit. Per invidiam fratres ejus viginti argenteis Siclis Ismaelitis eum vendiderunt. In Ægyptum deductus centum aureis a Putiphare Pharaonis cubiculario, Duceque exercitus emptus est. Decimum septimum annum Josephus tum agebat. A Putiphare aliquot post annis

domui

domui ſuæ præpoſitus, intentati deinde adulterii calumnias ab Hera paſſus, ab eodem in carcerem eſt conjectus. Poſt triennium ad Pharaonis ſomnia exponenda inde eductus, fertilitatem annorum ſeptem, totidemque ſterilitatem illa portendere interpretatus, Regemque hortatus, ut ſapientem aliquem virum eligeret, qui imminenti Regni neceſſitati conſuleret, ipſe in eam curam a Pharaone electus, & ſecundus inſuper a Rege in univerſa Ægypto conſtitutus. Ægypti adminiſtrationem ſuſcepit, anno trigeſimoprimo ætatis ſuæ, Mundi verò 2319. ac primo ab Avi Iſaaci obitu, quem centum, & octoginta defunctum annis Jacobus, & Eſau in ſpelunca duplici honorificè ſepelierunt. Sed Joſephus munus aggreſſus ſuum, perluſtrata Ægypto, horrea ubique conſtruxit, & Præfectos, qui fructus colligerent, ſingulis in Civitatibus inſtituit. Exorta fame, populis in Ægyptum ad coemendum triticum undique confluentibus, fratres quoque ſuos non cognitus excepit. His ſemel, & iterum durè habitis, & probatis, cùm ſe illis demum manifeſtaſſet, patrem cum univerſa familia in Ægyptum evocavit. Anno Mundi 2329, Jacobus natus annos 130. Ægyptum ingreſſus eſt, Joſepho tum agente annum primum & quadrageſimum, decimumque regnante, ac fame jam tertium annum divexante Æ-

P. J. 2979. Mun. 2319.

P. J. 2989. Mund. 2329.

gyptum. Præter mulieres, & famulos, sex & sexaginta fuerunt, qui unà cum Jacobo ingressi sunt Ægyptum, filii, & nepotes. Tradita Patri Josephus terra Gessen ad habitandum, eum, & omnem ejus familiam toto famis tempore gratis aluit. Hisce temporibus in Idumæa Jobus ex Zara, nepote ex filio Rahuele Esau natus est. Jacobus anno decimo septimo, quàm in Ægyptum descenderat, est vita functus. Antequam moreretur, cum ante filios Josephi Manassen, & Ephraim adoptasset, filiis ad se accitis, singulis bene precatus est, quæque ipsis in diebus novissimis ventura essent, prædixit. Imperio Judæ prædicto, tempus quoque, quo Messias ex ejus semine secundum carnem nasciturus erat, demonstravit. *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* * *Quod vaticinium, Judæorum Rege Herode magno, est adimpletum*, Judæis, eo regnante, sceptro ablato, & Christo Domino e Virgine in Mundum nato. Demortuum Patrem Josephus unà cum fratribus, & illustri Ægyptiorum comitatu in Chananæam, ut optaverat, detulit, atque in spelunca duplici apud Isaacum, & Majores suos magnificè sepelivit. Superstes Patri quatuor & quinquaginta annos Josephus vixit. Anno vitæ decimo supra centesimum, Princi-

* Quæst. 16.

cipatus octogesimo mortem obiit. Donec ille vixit, & quinquaginta post ejus obitum annis cuncta prosperè Israelitis in Ægypto cesserunt. Durissima exinde oppressi servitute. Ægyptiorum Rex Amenophes majora in dies illorum incrementa cernens, cùm invidia impellente, tum metu (Deo quoque eorum idololatriam vindicante) paulatim ipsos tollere statuit. Tributis primùm intolerabilibus, & laboribus exagitare cœpit. Quod persecutionis genus ad successores quoque suos propagatum annos tres & nonaginta adusque eorum ex Ægypto egressum perduravit. Excitatam persecutionem deinde idem Rex auxit. Ægyptias obstetrices mares omnes necare jussit, quod scelus illis exhorrescentibus, ut in Nilum universi Ægyptii eos projicerent, edixit.

QUARTA MUNDI ÆTAS.

P. J. 3124. Mund. 2464. AB recenti edicto anno nec dũ expleto natus est Moyses, in Servatorem populi sui a Domino electus. Hic Amrami, & Jochabethæ filius, Caathi nepos, Levi filii Jacobi pronepos, frater Aaronis, tribus annis natu minor. Ob præstantem ejus formam contra Tyranni Imperium tres menses a Parentibus domi occultatus, metu deinde evincente, in juncea fiscella bitumine, & pice illita ad ripam fluminis in aqua expositus est. A Pharaonis filia Thermute exceptus, in Aula est educatus. Annos natus quadraginta ad gentem suam egressus, Ægyptium quendam, qui Hebræum percutiebat, occidit, & arena obruit; qua cæde deinde evulgata, a Pharaone ad necem quæsitus, in Madianitidem fugit. Officiosus ibi in filias Jethro Sacerdotis, benignè ab eo susceptus pastoritiam exinde vitam quadraginta annis apud Jethro vixit, a quo filia ejus Sephora in uxorem acce-

cepta Gerſan, & Eliezer ex ea ſuſcepit. Octogeſimum annum ingreſſus, dum ad Montem Oreb, qui & Sinai, greges ſoceri ſui paſceret, a Domino ex ardente rubo ad Pharaonem de dimittendis Iſraelitis tria patrandi ſigna, quibus apud populum ſuæ a Deo legationis fidem faceret, accepta poteſtate legatus miſſus eſt. In itinere Aarone ſibi a Domino in occurſum miſſo, ſocio accepto, Ægyptum ingreſſus, ubi ſe legatum divinitus populo perſuaſit, Pharaonem cum fratre adjit. Abnuente Rege populum dimittere, quin duriùs ipſum habente, nec flexo poſtea ad virgæ prodigium in colubrum converſæ, quo Moyſes ab eo juſſus divinam ſuam legationem confirmavit, univerſam deinde Ægyptum decem graviſſimis plagis Dominus percuſſit. Hæ non continenter inflictæ, ſed per intervalla annum ferme tenuerunt. Poſtrema earum primogenitis tam hominum, quàm animantium ab Angelo nocte extinctis, ea demum clade Pharao perterritus, atque edomitus eadem nocte abire permiſit. Pridie ejus diei, quæ fuit primi Menſis Niſan decima quarta, ſolemni agni epulo Iſraelitæ veſperi Paſcha primò celebrarunt. Id Feſti divinitus mandatum in perenne vindicati in libertatem populi ex Ægyptiaca ſervitute monumentum. Summo mane ex Rameſſe urbe terræ Geſſen, quò ex tota Ægypto diſperſi convenerant, abierunt,

P. J. 3204. Mund. 2544.

* Quæst. 17. runt, * *anno ducentesimo decimo quinto ab Jacobi ingressu in Ægyptum*, præcedente columna nubis per diem, & ignis per noctem. Præter senes, pueros, atque adolescentes infra annum vigesimum, & mulieres, viri bello apti millia sexcenta censi sunt, quibus accessit Ægyptiorum innumerabile vulgus, qui ad illorum religionem conversi, ipsis adhæserunt. Ter decies centena millia universos explevisse, tradunt. Trium dierum viam Pharaoni Moyses a Domino edoctus, dixerat, se cum populo iturum in solitudinem ad sacrificandum Domino. Elapsis tribus diebus Israelitas in Ægyptum non revertentes Rex insecutus est. Ad littus rubri Maris sub vesperam diei sextæ eos assecutus. Periclitantibus Dominus præsto fuit. Jusso Moyse virgam super mare ex-

* Quæst. 18. tendere, * *hoc duas in partes diviso*, viam Israelitis per medium aperuit, muri instar aqua utrinque consistente. Quam viam Ægyptii quoque ingredi ausi, circa auroram, transgressis Israelitis, contra mare a Moyse virga extensa, confluentibus repente aquis, cuncti ad unum cum Pharaone submersi sunt. Peditum ducenta millia, equitum millia quinquaginta periisse, scribit Josephus.

* Quæst. 19. * *In adversum littus traducti Israelitæ* spoliis Ægyptiorum ditati. Quintadecima die secundi mensis Iiar in deserto Sin præ fame ad seditionem spectantibus, orante Moy-

se,

ſe, veſpere Dominus coturnices demiſit, ea copia, ut caſtra operuerint; mane verò Manna ſpecie minuti grani orizæ pluit, quo annis quadraginta in deſerto deinceps aluit. Apud Raphidim præ ſiti novo exorto in populo murmure, ex petra Horeb montis, virga a Moyſe percuſſa, uberrimum aquæ fontem elicuit. Eodem in loco de Amalecitis victoria parta, novis opulentis ſpoliis locupletati. Quarta die tertii menſis Sivan, in ſolitudinem Sinai venerunt. Altera ibi die, quæ quinquageſima fuit a die altero celebrati in Ægypto Paſchatis, a Domino legem, ſive decem Decalogi præcepta acceperunt, ad ſonitum buccinæ terribili voce tonitrui inſtar e medio fulgurantium nubium, maximique ignis erumpente, ab Angelo promulgata; cujus vocem præ metu non ſuſtinentes, reliqua deinde præcepta cùm judicialia, quæ tribus capitibus Exodi 21. 22. & 23. traduntur, tum Cæremonialia, quinque ſequentibus contenta, eodem in loco per Moyſem receperunt, & reliqua, quæ in cæteris Exodi capitibus referuntur, atque in lib. Levitici, decemque prioribus capitibus Numerorum libri. Anno altero, quàm Ægypto egreſſi erant, prima die Menſis Niſan abſolutum, quod Dominus demandaverat, Tabernaculum Moyſes erexit. Aaronem deinde Pontificem, filios ejus Nadab, Abiu, Eleazarum, & Ithamarem Sa-

cerdotes instituit. Nadab, & Abiu paulo post, dum neglecto sacro igne altaris holocaustorum profanum thuribulis imponunt, & super altare thymiamatis ad adolendum thymiama collocant, repente ignis ex iis egressus, extinxit. Circa ipsum tabernaculum tres & decem Tribus, in quas Israeliticus populus juxta totidem ejus parentes erat distinctus, distribuit. Levi Tribum per gyrum ejus collocavit. Ad Orientem, quò illud spectabat, Tribus Juda, Issachar, Zabulon: ad meridiem Tribus Ruben, Simeon, Gad: ad Occidentem Tribus Ephraim, Beniamin, Manasse: ad Septentrionem Tribus Dan, Asser, & Nephtali; quo ordine in itinere quoque deinceps progredi voluit. Post hæc Levitas, quos Dominus loco primogenitorum ad sibi administrandum elegit, per Aaronem Domino obtulit, & consecravit. Tres in Classes hi distincti, Gersoniticam, Caathiticam, & Mesariticam, juxta videlicet tres Levi filios, Gerson, Caath, & Merari, qui eos propagarunt. Ex earum altera Aaronis familia Sacerdotalis per Amramum filium Caathi descendebat. Eodem anno, mense secundo, die vigesimo a Sinai abierunt. Ad sepulchra concupiscentiæ, quò inde profecti venerunt, ubi Moyses in oneris sui levationem septuaginta Seniores a Domino accepit, populo Manna fastidienti coturnices in mensem rursus ab eo-

dem

dem impetravit, tanta copia, ut universam regionem castra omnia circùm diei unius itinere repleverint. Harum avido pastu viginti tria millia perierunt; quod loco nomen fecit. In Rethma, loco deserti Pharan, Cadesbarne Moabitarum urbi proximo, collocatis castris, duodecim inde viri principes, singuli de singulis Tribubus, exposcente populo, nec Domino abnuente, ad explorandam Chananæam missi sunt. Post dies quadraginta his reversis, præter Josue, & Calebum referentibus, terram a fortissimis gigantibus inhabitari, præ gentis fortitudine, urbium, & munitionum firmitate inexpugnabilem esse regionem, perterriti his nunciis Israelitæ, concitata seditione, frustra obnitentibus Josue, & Calebo, constituto sibi Duce, in Ægyptum reverti statuerunt. Jam Dominus pestilentia omnes delere voluit; sed Moysis precibus placatus, Chananææ aditu prohibitos, decem & novem annis, majores præter Josue, & Calebum perpetuo exilio omnes mulctavit, retro jubens per Arabiæ deserta undequadraginta circiter annis, donec cuncti perirent, circumduci.

In hoc tam longo errore in Deum, & Moysem perpetuò rebelles, suæ contumaciæ gravissimas pœnas dederunt. In Asiongaber Core, Dathan, & Abiron Principatum, & Sacerdotium affectantes, excitata seditione,

ſubitò dehiſcente terra cum ſuis familiis ſunt abſorpti, & ducenti eorum ſocii, dum thus adolent, cœleſti flamma conſumpti. Poſtero die in Moyſem, & Aaronem, quaſi illatæ cladis authores, inſtauratis turbis, quatuordecim millia, & ſeptingentos idem ignis incendit. Anno quarto ab exitu ex Ægypto hæc contigerunt. Reliqua deinde, quæ intra quinque & triginta circiter annos acciderunt, ad poſtremum uſque vitæ ſuæ annum Moyſes ſilentio præterivit. Hoc ipſo anno ab egreſſu quadrageſimo in deſerto Sin, in Cades ob aquæ penuriam obmurmurante populo, juſſi a Domino Moyſes, & Aaron coram multitudine petram alloqui, dum eam percutere malunt, Chananææ ingreſſu ejus inobedientiæ cauſa privati ſunt. Non multo poſt apud montem Hor caſtris poſitis, ejus in vertice Aaron objit, cui filium ejus Eleazarum Moyſes ſuffecit. In Phunon deinde itineris tædio Moyſi populus obtrectans, igneorum morſibus anguium divinitus punitus eſt. Extinctis pluribus, cæteris, ne perirent, Moyſes Ænea ſerpentis effigie ſublata, conſuluit. Productis in Helmondeblathaim, ad torrentem Arnon caſtris, Seon Amorrhæorum, & Og Baſan Rege Moyſes devictis, Tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manaſſis ſubactas terras diſtribuit. Ultimam Stationem, a prima in Rameſſe, in Ægypto quadrageſi-

gesimam secundam, in Campestribus Moab Israelitæ habuerunt. Vigintiquatuor millia hoc in loco pestilentia sustulit. Hac clade populi fornicationem cum mulieribus, quas Moabitarum, & Madianitarum Rex Balacus hortatu Balaami arioli ad capiendum Israelitas eorum in castra immiserat, Dominus ultus est, multo majori ulturus, nisi Phinees filii Pontificis zelo fuisset placatus, qui Zambri, viro principe de tribu Simeon unà cum scorto confosso, eo facto cùm perpetuum sibi Sacerdotium, tum populo delicti illius veniam impetravit. Hujus sceleris pœnas Madianitæ quoque paulo post dederunt, ab Israelitis eorum urbibus, oppidis, vicis ubique incensis, & cæsis viris, mulieribus unà cum parvulis, atque animantibus, cunctaque supellectile, captivis abductis. Constituto deinde Moyses Domini jussu Duce populi Josue, monte Nebo, qui e Moabitidis campestribus assurgit, conscenso, cum inde Chananæam divinitus sibi ostensam conspexisset, eodem in loco * *vita functus est*, anno ætatis centesimo vigesimo, Ducatus quadragesimo. * Quæst. 20. P. J. 3243. Mund. 2583.

* *Mortuo Moyse, Josue filius Nun de tribu Ephraim Principatum iniit.* * Quæst. 21. Novus populi Dux Israelitas, siccato Jordanis alveo, ad Arcæ præsentiam aquis ejus consistentibus, & montis instar intumescentibus, in Chananæam traduxit, decima die primi mensis.

Positis in Galgalis castris, intermissa per annos quadraginta peregrinationis circumcisione resumpta, qui in deserto nati fuerant, circumcisi. Paschate deinde die decima quarta tertium celebrato, Israelitarum exinde Imperio Chananæam subjugare est aggressus. Hiericho primùm cepit, mœnibus ejus circumlata septem diebus Arca, ad extremum clangore buccinarum, ac populi vociferatione corruentibus. Hanc cum animantibus, cæsis ad unum incolis, incendit. Eandem cladem mox Hajensibus intulit. Hæc renovatio fœderis Deum inter & populum in monte Sina icti, in Garizim, & Hebal montibus excepit. Post hæc quinque reges, Adonisedechum regem Hierusalem, Oham Hebron, Pharan Jerimoth, Japhiam Lachis, Dabir Eglon, Gabaonitas, qui se Israelitis dederant, oppugnantes, improvisus aggressus, partim cecidit, alios fugavit; quos dum persequeretur, * *circa meridiem* veritus, ne dies sibi deficeret ad hostium internecionem, Solem, & Lunam, donec penitus profligaret, jussit consistere. Cæsis magna strage hostibus, Australem Chananæam, victore deinde exercitu circumducto, ferme universam hoc ipso anno subegit. Proximo in partem ejus septentrionalem bellum intulit. Potentissimus Chananæorum rex Jabin ibi regnabat. Hic immensas copias, auxilia sociis quoque regibus ferentibus,

* Quæst. 22.

bus, adversus Josue contraxit. Peditum, inquit Josephus, trecenta millia, equitum decem millia, curruum viginti millia. Hæ omnes copiæ ad aquas Merom, sive lacum Samachonitem convenerunt. Victoriam Domino pollicito, Josue hostium castra est adortus. Cædibus his repletis, insignis ejus victoria fuit. Profligato Jabini exercitu, mox Asoram ejus regiam cepit. Hanc captam, Jabino occiso, civibusque, incendit. Exinde nemo cum Josue confligere ausus. Regione potitus, munitas inde urbes, quò belli terror hostes compulerat, expugnavit. Haspartim exussit, partim, quæ munitiones erant, servavit. Uno & triginta Regibus cæsis, post sextum annum, tota ferme Chananæa in suam potestatem redacta, bello finem imposuit. Regionem deinde reliquis novem Tribubus, & dimidiæ Manassis, octo & quadraginta urbibus Sacerdotibus, & Levitis attributis, partitus est. Hanc Israelitæ, completa Domini promissione eorum
patribus facta, deinceps possederunt. P. J.
Vitæ ejus anno centesimo decimo, 3260.
Principatus decimo septimo Josue in Mund. 2600.
Thamnasare urbe sua excessit.

Post Josue obitum Judices Rempublicam administrarunt. Non tamen
statim creati. Interregnum fuit tri- P. J.
ginta annorum. Primus Israelitarum 3291.
Judex Othoniel de Tribu Juda, fra- Mund. 2631.
ter Calebi natu minor. Vita functis

Se-

Senioribus, quorum non imperio, sed auctoritate per annos decem & septem populus in Dei cultu se continuerat, in idololatriam deinde prolapsus, Chusano Mesopotamiæ Regi in servitutem traditus est. Post octo servitutis annos resipiscenti populo Othoniel servator datus. Ad pugnam is egressus, oppresso Chusano in libertatem populum vindicavit, & restituta religione

P. J. 3300. Mund. 2640. rexit. Anno Mundi 2640, ab obitu Josue quadragesimo objit. Ab eo tempore quadraginta anni, quibus in Othonielis morte terra quievisse dici-

* Quæst. 23. tur, numerantur. * *Anni enim Interregnorum, & Servitutum in Judicum annis comprehenduntur*. Mortuo Othoniele, Israelitæ mox ad gentium superstitionem relapsi, servituti rursus sunt addicti. Ab Eglone Moabitarum rege duodeviginti annos oppressi. Execrati deinde scelus, suscitato divinitus Aodo Beniamita, Eglone sublato, in libertatem rursus sunt asserti. Hujus

P. J. 3381. Mund. 2721. principatus a morte Othonielis octoginta annorum. Anno Mundi 2721, primo, quàm Aodus obierat, adhuc illo regnante, spreto senis imperio, ad pristinam insaniam reversi Israelitæ Jabino Chananæorum regi servierunt. Post viginti annorum servitutem profano abjecto cultu a Debora, & Baraco Nephtalita Jabini Duce Sisara fugato, & a Jahele Cinæa extincto, libertatem recuperarunt. Verùm in Dei famulatu non perstantes eodem

dem anno, quo Baracus, & Debora ex vivis abierunt, Mundi 2760 Madianitis traditi, septem annos durissimam passi servitutem. Vana demum ejurata religione, per Gedeonem de Tribu Manasse jugum excusserunt. Is trecentis viris tubis, & lagenis, quibus faces erant inclusæ, instructis, nocte circa hostium castra collocatis, cum eodem simul tempore omnes lagenas complodere jussisset, & tubas inflare, exterritos hostes, mutuamque in cædem actos fugavit, & cecidit. Gedeone anno Mundi 2800, quadragesimo a morte Baraci defuncto, mox in pristina scelera sunt relapsi. Decem propterea annorum fame afflicti, demum Ammonitis subjecti, anno sexto principatus Jair, successoris Tholæ, qui post tyrannidem Abimelechi filii Gedeonis, regnavit. Post octo & decem annos malis pene consumpti, projectis idolis, Salvatorem exposcentes, Jephte a Deo acceperunt. Hic cum hoste pugnaturus, vovit, se quicquid domum sibi post victoriam revertenti, ex ea primùm occurrisset, Deo immolaturum. Damnatus voti, quam primam obviam habuit, * *unicam filiam mactavit*. Sex annos cùm imperasset, ei successit Abesan, anno Mundi 2855. Hujus Imperii anno sexto?, renovata Israelitæ ab Deo defectione Philistæis sunt traditi. Hæc servitus ab obitu Josue, omnium longissima. Quadraginta perpetuos annos Phili-

P. J. 3420. Mund. 2760.

P. J. 3460. Mund. 2800.

P. J. 3515. Mund. 2855.

* Quæst. 24.

ſtæis tributum pependere. Vita functo Abeſano Ahialon ſuffectus: huic deinde Abdon, quem excepit Samſon Danita, mira vir fortitudine, Iſraelitis divinitùs datus, eorum vindex libertatis. Accepta Samſon uxore philiſtæa, hac, eo abſente, alteri a ſocero tradita, perpetuum bellum Philiſtæis indixit. Trecentis primum vulpibus, quas binas caudis cum facibus junxerat, dimiſſis, per maturas jam meſſi ſegetes latè fudit incendium. Eum deinde dolorem ulturi dum comprehendere conantur, ipſis quoque malè habitis, abſumptas ſegetes nova ſtrage cumulavit. Eò acriùs in ultionem incenſi, infeſto exercitu ab ſuis ad ſupplicium depoſcunt, deditumque abducunt. Ille verò diſruptis repentè vinculis, arrepta, quæ fortè jacebat, aſini maxilla, mille hoſtes proſtravit, cæteros in fugam egit. Hac Philiſtæi inopinata clade perterriti pacem Samſonem rogarunt; Iſraelitæ verò tantæ fortitudinis merito Principatum ei contulerunt. Verùm poſt annum rurſùs exortum bellum. Fœdifragi Philiſtæi profectum Gazam Samſonem, clauſis urbis portis, capere tentarunt. At ille porta unà cum clauſtris, & poſtibus revulſa, humeriſque in vicini Montis verticem deportata, illuſis hoſtibus, periculum evaſit. Formidoloſus deinde perpetuò Philiſtæis, & invictus, donec victor ſui. Adamata poſtremùm Dalila Philiſtæa meretrice, hu-

hujus insidiis succiso crine, ejus fortitudinis arcano, à Philistæis captus, excæcatus, Gazam abductus, in pistrinum adactus est: unde mox ad ludibrium in Dagonis templum, deductus, concussis columnis, eadem templi ruina unà cum hostibus oppressus, jacentem demùm populi libertatem erexit, anno Mundi 2899. ejus principatus 20. Post mortem Samsonis Heli Pontifex Rempublicam rexit. Is de Ithamaris, inquit Josephus, familia. Sacerdotes duas in familias erant distincti, Eleazariticam, & Ithamariticam: hanc Ithamar propagavit, illam Eleazarus, Aaronis filii. Summa fuit, Heli Judice, Israelitis pax. Quadragesimo Principatus ejus anno Philistæi, instauratis viribus, bellum adversus Israelitas renovarunt, eorumque servitutem. Semel, iterùmque victi Israelitæ quinque & triginta eorum millibus cæsis cum Ophni, & Phinee, Heli filiis, capta Domini Arca, quam ad ultimum subsidium in castra detulerant, urbibusque pluribus spoliati, atque armis, fabrisque ferrariis, Philistæis rursus servire sunt compulsi, & tributum pendere. Hac clade Deus occultam populi apostasiam, atque Heli filiorum scelera ultus est. Ad ejus triste nuncium, præsertim captæ ab hostibus Arcæ Heli in Silo è sella subitò retrorsùm corruens, fractis cervicibus, extinctus est.

P. J. 3559. Mund. 2899.

P. J. 3599. Mund. 2939.

QUIN-

QUINTA MUNDI ÆTAS.

Per. Jul. 3600. Mund. 2940.

HEli in Principatu Samuel, filius Elcanæ Levitæ, & Annæ insignis Propheta, annum agens quadragesimum, successit, communibus populi suffragiis electus. Is cum Philistæis rebus utcumque compositis, ad Divinum cultum reparandum præsertim animum adjecit. Arca in Phylistæa cum hominum, deorumque cladibus ubique desæviente, post septem menses à Philistæis restituta, in Cariathiarim in domo Abinadabi Levitæ collocata, Tabernaculum è Silo, ubi primùm Josue illud collocaverat, in Nobe tutiorem locum, transtulit. Anno vigesimo ejus Principatus, religione ubique restituta, in Maspha in Tribu Beniamin, congregato populo, ibi publicè ejurata idolorum superstitione, antiquum fœdus cum Domino redintegravit. Restituti in gratiam populi insignis de Philistæis victoria argumento fuit. Eodem in loco dum hostes Israelitas aggrediuntur, consilium ibi excutiendæ servitutis eos capere rati, con-

continuò fragore magno Cęlo tonante, sunt dissipati; quos Samuel insecutus, ingenti strage prostratos ad redimendam pacem cum remissione tributi occupatas ante urbes præter nonnulla præsidia reddere compulit. Altero post anno populus cum iniqua judicia propter avaritiam ejus filiorum Joelis, & Abiæ, quos, dum ipse in Ramatha ageret, in Bersabee Judices constituerat, non ferret, Regem postulavit, Anno Mundi 2962. Samuelis Principatus 23. Hebraicæ Reipublicæ mutatio, re ab Judicibus ad Reges traducta, contigit. Saul filius Cis Beniamitæ, primus Rex Hebræorum. Hunc Dominus per Samuelem elegit. Octo & decem is regnavit annos. Primum bellum anno altero regni adversus Ammonitas gessit. Horum regem Naasum, qui obsessis Jabesitis non alia conditione, quàm ut dextrum sibi oculum erui paterentur, pacem dabat, devicit. Alterum anno regni tertio, quo ad improbitatem declinare cępit, habuit cum Philistæis, deleto a Jonatha eorum in regia Gabaa præsidio. Virtute Jonathæ, & ejus armigeri hostes in fugam actos persecutus ad sexaginta millia cecidit, unde populo plena libertas, præsidiis ab hostibus ubique desertis. A Philistæis in Moabitas arma convertit: rursum deinde in Ammonitas, post in Idumęos, & in Reges Soba, sive Cœlesyriæ. Hæc bellum adversus Amalecitas exce-

Per. Jul. 3622. Mund. 2962.

cepit, anno regni ejus septimo. Hos funditus delere divinitus jussus est. Hi olim tempore Moysis Israelitarum iter in Terram promissam impedire conati, hanc iram Numinis in se verterant. Id verò Saul non executus, a bello reversus, Regno a Domino est abdicatus, tantùm deinceps illud administrare permissus. Anno sequenti Davide filio Isai, sive Jesse de Tribu Juda, & de urbe Bethlehem à Samuele jussu Domini clam in regem inuncto, a divino Spiritu in Davidem translato, Saul destitutus, a dæmone correptus est. Hoc ejus morbo divulgato, Philistæi anno tertio, quàm fuerat abdicatus, bellum renovarunt. Sed Saul, Goliath Davidis virtute prostrato, hostes in fugam versos ingenti clade, triginta millibus cæsis, & duplo pluribus vulneratis, percussit. Hac victoria insigni triumpho Goliathi capite per universas Israelitarum urbes circumlato, celebrata, dum mulieres Sauli mille, decem verò millia Davidi deferunt, eo ille cantico offensus, capitali deinceps, & inexorabili odio Davidem est persecutus, eum esse suspicatus, quem Samuel dixerat, Dominum ejus loco elegisse. Clam primum insectatus, palam deinde ad necem quæsivit. Deserta quæque loca adire, abrupta montium, & speluncas compulit, demum ad Achim Gethæorum
P. J. regem confugere. Id anno Mundi
3639. 2979. contigit, quo postremum Saul

cum

cum Philistæis pugnans, victus in ensem incubuit. Mund. 2979.

Extincto Saule, David eodem anno divino jussu Hebronem veniens delatam sibi à tribulibus suis Regnum capessivit, anno ætatis 30. Primùm in Tribu Juda annis septem, & mensibus sex regnavit; sublato deinde a Sicariis Isbosetho filio Saulis, in universum Israelem imperium est adeptus. Id consecutus, Sionis arce expugnata, cæsis ad unum Jebusæis, Hierosolymæ sedem suam fixit, anno Mundi 2987. Insequente anno semel, & iterum victis, & fugatis Philistæis, jugum tributi, quod populo rursus post devictum Saulem imposuerant, excussit. Solemni post hæc pompa anno 2990. Arcam ex Cariathiarim, ubi ad tres menses tristi Ozæ casu territus, in domum Obedom Levitæ, Gethæi cognomine avertisset, in Sionis arcem transtulit. Eidem templum fabricari a Domino prohibitus debellandis hostibus, Regnique finibus dilatandis incubuit. Anno proximo occupata Geth, Philistæos primùm Imperio suo subjecit: Moabitas deinde, post Reges Syriæ, Adarezer regem Joba, & Adadum regem Damascenorum: mox Idumæos, postremùm Ammonitas. Vigesimo regni anno confecto bello Ammonitico, subactis undique hostibus, foris rebus pacatis, & compositis, domi turbas, & bella passus est. Multiplices deinceps stupratæ anno ante P. J. 3647. Mund. 2987.

Beth-

Bethsabeæ, & necati Uriæ pęnas luit. Eas primùm anno, qui est insecutus, in incesta Thamaris filiæ scelere Amnonis filii natu majoris violatione pertulit: biennio post in Amnonis cęde ab Absalone perpetrata: post septennium in Absalonis tyrannide: in Sebę seditione, quæ postero anno accidit: septem post annis in populi peste, & in ambitione demùm Adoniæ, anno re-
P. J. 3680. gni 40. qua permotus, constituto re-
Mund. ge Salomone, regno se abdicavit.
3020. Salomon * *annos natus unum & vi-*
* Quæst. 25. *ginti*, sequenti anno Mundi 3020 Regno a patre pręfectus est. Proximo anno eo defuncto, postero Salomon optans sapientiam, dum adita Gabaon, quò post eversam a Saule Nobe, Moysis tabernaculum fuerat translatum, mille ibi immolatis hostiis, Deum adorat, illam meruit. Eodem anno Pha-
P. J. raonis filiam a patria superstitione ad ve-
3683. ri Dei cultum conversam accepit uxo-
Mun. 3023. rem. Regni anno quarto, * *ab exitu fi-*
* Quæst. 26. *liorum Israel de terra Egypti anno* 480. Templi, quod Domino longè magnificentissimum ædificavit, fundamenta jecit. Septem annos, & dimidium in eo fabricando posuit. Eo in opere centum octoginta tria operariorum millia, & Sexcenti occupati. Tricies centena millia aureorum, inquit Villalprandus, præter æris, & ferri vim immensam impensa. Absoluto templo, & dedicato, Regiam domum sibi, & uxori suæ Pharaonis filiæ tredecim annis

mo-

molitus est. Hac perfecta Superioris, & inferioris Hierosolymæ mœnibus novo opere invicem junctis, uno sex milliarium muro, in quo turres nonaginta assurgebant, totam urbem inclusit, & cinxit. Famma ejus sapientiæ, & operum finitimarum, & remotarum nationum Regibus Hierosolymam excitis * *anno regni* 28. * *ab ultimis Arabiæ finibus* *Reginam Saba excepit*. Toto Oriente clarissimus, postremùm famam nominis fœdavit. Libidinis illecebris turpiter captus, uxores mille duxit, adolescentulas sine numero adamavit. Mutatis moribus, nec religio constitit. Cum fanis idola circa Hierosolymam erecta uxoribus, veneratus est An resipuerit, controversum. * *Asserentium verior sententia videtur*. Regni anno 40. vita functus est.

* Quæst. 27.
* Quæst. 28.
* Quæst. 29.

P. J. 3720, Mund. 3060,

Israeliticum Regnum post Salomonis obitum duo in Regna scissum. Alterum Judæ appellatum, alterum Israelis. Illud Tribus Juda, & Beniamin constituerunt; Israeliticum decem reliquæ. Hujus primus rex Jeroboamus, filius Nabathi Ephraimita. In regno Judæ Roboamus, cujus stultitia, dum tributorum imminutionem petenti populo superbè respondet, hæc divisio contigit, Salomoni patri successit. Ambo Reges Dei desertores. Hoc ipso anno Jeroboamus veritus, ne, dum populus statis temporibus Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum, templum Hierosolymis adiret, ab se averteretur,

ido-

idola, duos vitulos aureos, & delubra ei constituit, alterum in Dan in Tribu Nephtali, alterum in Bethel in Tribu Ephraim. Anno Regni quarto eum imitatus Jeroboamus, in collibus passim plantatis lucis, & aris, ac statuis dicatis. Hæc impietas anno sequenti per Sesacum Regem Ægypti ab Deo immissum expilato templo, & Regia Domo, paululùm restincta, mox est restituta, ad ingenium redeunte
P. J. 3737. Mund. 3077. Roboamo, qui in eadem excessit anno Regni decimo septimo. Abias post patrem Roboamum Regnum administravit. Initio veri Dei cultor, mox post insignem de Jeroboamo victoriam quingentis Israelitarum millibus cæsis, idolorum. Impius anno regni tertio vivere desiit. Abiam Asa ejus filius excepit anno 3080. rex probus, & pius. Statim lucos succidit, aras peregrini cultus subvertit, idola confregit. Ea tamen excelsa reliquit, in quibus verus Deus, licèt loco indebito, colebatur. Proximo anno Jeroboamus regni sui 22. divinitus percussus, è vivis abiit. Nadabus filius in regno, & in impietate ei successit. Hoc postero anno sublato, ejus interfector Baasa Abiæ filius Issacharita Regnum Israelis occupavit. Regni anno 15. Asa regnum ejus Zaram Æthiopum regem decies centenis militum millibus, & trecentis curribus invadentem, Deo ejus precibus obsecundante, internecione delevit, Baasa anno regni sui

ſui 24. defuncto, Ela ejus filius vix annum regnavit. Zambri deinde, a quo occiſus Ela, dies tantùm ſeptem regnum occupavit. Rerum Amri, occiſo tyranno, & æmulo deinde Tebni, potitus eſt. Empto is monte a Samer, urbem, quam de ejus nomine Samariam dixit, in eo condidit, ſedemque regni, relicta Therſà, hactenus Iſraelis regum Regia, conſtituit. Duodecim annos Amri regnavit. Ei ſucceſſit filius Achabus, qui Jezabelem filiam Regis Sidoniorum, impiam, & crudelem fęminam, quæ cultu Baalis auxit Iſraelitarum ſuperſtitionem, duxit. Reges Iſrael omnes impii. Impietate hic omnes ſuperavit. Aſa Regni anno 41. vita eſt functus.

Joſaphatus mortuo patre, Judæ re-
gnum rexit. Paternæ pietatis æmula- P. J.
tor, Divino cultui reſtituendo incu- 3780.
buit. Anno Regni tertio Sacerdotes, Mun.
& Levitas, Principibus ſuis ſtipatos, 3120
ad erudiendum populum per Regnum dimiſit. Achabus 22. anno, quàm regnare cęperat, in prælio adverſus Syros telo confoſſus, interiit. Ei ſucceſſit Ochozias filius, quo poſtero annò exſtincto, Joramus ejus frater regnavit. Hujus altero regni anno Elias Thesbites propheta inſignis igneò currù in Cęlum eſt raptus, qui ex alto pallio Eliſæo projecto, eundem in prophetico munere ſibi ſubſtituit. Abhinc anno quarto Moabitæ, & Ammonitæ conjunctis copiis Judæ regnum in-

 greſ-

gressi, mox ad pias Josaphati preces in seipsos armis conversis, mutuis vulneribus conciderunt. Annos quinque & viginti Josaphatus regnavit. Illo mor-
P. J. 3806. tuo, Joramus ejus Regnum admini-
Mundi. 3146. stravit, anno Mundi 3146. Is primùm occisis fratribus, parricida, inde in Deum, restituta superstitione, impius. Anno regni 8. regnare, & vivere desiit. Ochozias ejus filius æquè impius post ipsum regnavit, quo anno sequenti unà cum Joramo rege Israelita a Jehu extincto, Mater ejus Athalias, Achabi, & Jezabelis filia, perdita fœmina, regia deleta sobole, tyrannidem sex annos occupavit.

P. J. 3817. Mun. 3157. Joasus, Athalia Joiadæ Pontificis opera extincta, octennis Ochoziæ patri successit. Hunc Josabetha Ochoziæ soror, & Joiadæ uxor, Athaliæ furori eripuerat. Ejusdem Jojadæ studio, & diligentia post restitutum paternum in solium regem religio quoque, vitulorum, & Baalis superstitione, quam in Judæ etiam regnum Joramus agente Athalia invexerat, ubique sublata, est restituta. Jehu, qui post Joramum, universa ejus deleta familia, in Israel repugnaverat, regni sui anno 28. mortuus est, qui regni, & vitulorum superstitionis, cultu Baalis sublato, hæredem reliquit filium Joachazum. Mortuo Joiada regni Joasi anno 28. in regno Judæ, permittente Rege, superstitio est renovata. Huic malo cùm Joasus necem quoque Zachariæ Sacerdo-

dotis, & prophetæ, filii Joiadæ, ejus & populi impietatem arguentis, addidisset, horum scelerum mox pęnas dedit. Victus primùm a Syris, captusque male habitus, miserrima post confectus ægritudine, demum ab suis in lecto confossus regni anno 40. apud Israelitas primum annum regnante Joaso, demortui Joachazi filio.

Post Joasum filius ejus Amasias Judæ regnum administravit, qui anno regni 12. superatis Idumęis, captos eorum Deos adoravit. Sed altero abhinc anno ab Joaso, quem stultè provocaverat, victus, & captus, Hierosolymorum dirutis mœnibus, direptisque sacris, & profanis thesauris, menti est restitutus. Hoc ipso anno obiit Joasus anno regni 16. cui Jeroboamus filius, hujus nominis secundus, suffectus. Anno a morte patris 29. Amasiam conspiratione suorum sublatum excepit filius Ozias, sive Azarias, anno 3226. Annos duos & quinquaginta regnavit. Idumęos, Philistæos, Ammonitas, Arabes devicit. At infelix, dum anno regni 49. secundis inflatus rebus Sacerdotale munus invadit, repente lepra percussus, regium quoque amisit, translata deinde in Joathamum ejus filium regni administratione. Ozia decimum annum regnante Assyriorum Imperium pene collapsum est ab Arbace Medorum Præfecto, Beleso Babyloniorum, & Phule Assyriorum, Sardanapalo, qui a Nembrodo secun-

P. J. 3857. Mun. 3197.

P. J. 3886. Mun. 3226.

P. J. 3895. Mund. 3235.

dum Eusebium trigesimus septimus Imperator enumeratur, juxta verò Africanum quadragesimus primus, cùm tota regia familia, incenso rogo ad se comburendum adacto. Verùm Phulis, & Theglatphalasaris ejus filius virtute mox Medis, & Babyloniis subactis, illud rursus est instauratum. Jeroboamus unum & quadraginta annos regnum tenuit. Eo defuncto, Israelitarum rebus civilibus bellis perturbatis, Interregnum extitit 12. annorum. Zacharias deinde ejus filius sex menses regnavit. Hujus postea interfector Sellum unum mensem. Mox Manahen, sublato Sello, decem annos. Ei successit filius Phaceia; quo altero regni anno extincto, Phacee tyrannidem arripuit. Joathamus post mortem Oziæ patris, alterum annum Phacee regnante, regnum adeptus est. Principium regni ejus Olympiadum initio est illustre.
P. J. 3938. Mund. 3278. In primum ejus annum prima Olympias incidit, qui est mundi 3278. & ante Christi Domini Nativitatem 775. Altero regni anno Theglatphalasar Assyriorum Imperator, devicto Phacee, Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manassis trans Jordanem cum Tribu Nephtali in Mediam transtulit. Alienis malis edoctus Joathamus totus in adornando templo. Victis Ammonitis, tributi jugum excutientibus, sexto decimo, quàm regnare cœperat, anno
P. J. 3954. Mund. 3294. decessit. Ei successit filius Achazus anno 3294. Regum, qui ante ipsum in

Juda

Juda regnarunt, pessimus. Initio regni patria destituta religione, Baali lucos plantavit, aras erexit, & statuas. Id scelus Numine ulciscente, finitimi Reges, bello ipsi illato, maximis cladibus affecerunt. Rasin primùm rex Syriæ, qui ipsum devictum, captumque Damascum abduxit: Phacee deinde Israelita: Hique rursum junctis simul viribus. Ab his obsessus Hierosolymis, dum desperans de Divina potentia, quæ præsenti eum periculo liberare possit, nec Esaiæ Prophetæ credens, liberationem ejus Deo possibilem confirmanti, signo rei longè majoris, quam erat facturus, Virginis nimirum, quę erat conceptura & paritura Messiam, qui populum ab hostibus multo potentioribus liberaret, Satana, morte, Idololatria, Theglatphalasarem adversus Syrum, & Israelitam evocat, cladem, quam ab illis sibi verebatur, ab eodem passus est. Post solutam Assyrius obsidionem, cęsumque Rasin, diripuit fœdifragus Hierosolymam & grave Achazo tributum imposuit. Idumęos, & Philistæos post hæc infestos est expertus. Quibus malis factus deterior, atque in rabiem actus nefario ritu filios igne lustravit, & Molocho Ammonitarum idolo consecravit, & quasi districto gladio in ipsum Deum, cùm jam sacrum holocaustorum altare sustulisset, profanumque ad Damasceni speciem substituisset, sacris sublatis, confractisque vasis expilatum templum oc-

clusit, ac passim Hierosolymis, singulisque in urbibus, & collibus, fictis gentium numinibus, Syrorum præsertim, aras excitavit. Hac in impietate anno regni 16. mortuus est. Tertio regni ejus anno Oseas, filius Ela, extincto conjuratione Phacee, Israelitarum regnum invasit.

P. J. 3969. Mund. 3309. Ezechias impiissimo parenti religiosissimus filius successit. Hic statim idola sustulit, profanas aras evertit, lucos excidit, & excelsa. Divino cultu ubique restituto, postero anno illato bello Philistæis cùm erepta patri recuperavit, tum omnes eorum urbes a

Per. Jul. 3974. Mund. 3314. Geth usque Gazam suæ ditioni adjecit Regni ejus anno sexto, Mundi 3314. Israeliticum Regnum desiit; anno ab ejus ortu 255, a Salmanasare, qui defuncto patri Theglatphalasari successerat, extinctum, reliquis Israelitis, vindicante Numine, ut quondam eis Moyses, & Josue prædixerant, eorum idololatriam, in Assyriam unà cum Osea rege eorum ultimo, in servitutem abductis, eorumque regione novis tradita colonis. In captivis fuit quoque Tobias Nephtalita. Abhinc anno octavo Ezechia inito cum Ægypti Rege fœdere, Assyriorum jugum excutiente, Sennacheribus, Sargon ab Esaia vocatus, qui post mortem patris Salmanasaris apud Assyrios regnavit, regnum ejus invasit. Populato hoste regionem munitisque ubique potito oppidis, Hierosolymis jam minitante, Ezechias gravem

vem in morbum præ mœrore incidit. Ex eo moriturus, triste mortis nuncium ab Esaia accepit, sed effusis ad Deum precibus, mox ab eodem Propheta in quindecim annos vitam Divinitus sibi productam audivit; cumque de ejus fide dubitaret, postularetque signo aliquo id confirmari, * *Propheta solem decem gradibus, quos percurrerat, regredi fecit, & ad ortum suum reduxit.* Pristinæ sanitati Ezechias Divinitus restitutus, paulo post ab Assyriorum quoque periculo, & tyrannide liberatus est. Subacta Sennacheribus Ægypto, quò hæc inter arma converterat, deletoque Tharaca Æthiopum rege, qui Ægyptiis auxilio venerat, in Judæam reversus, dum Hierosolymæ appropinquaret, una nocte centum & octoginta quinque Assyriorum millibus ab Angelo percussis, tanta suorum strage exterritus, Ninivem fugit, ubi post 45. dies, minore filio Assarhaddone Imperii hærede designato, dum in templo Nesroch deum suum adoraret, a majoribus natu filiis Adramelecho, & Serasare est interfectus. Regnavit post ipsum Assarhaddon, Assyriorum ultimus Imperator, parricidis fratribus in Armeniam fuga elapsis. Quo tempore turbatis Assyriorum rebus, viribusque pene accisis, Babyloniorum Præfectus Merodachus, filius Nabonassaris, quem Baladan Esaias vocat, a quo anno Mundi 3306. initium habuit, & nomen celebris Epocha Nabonassarea, ab Assar-

* Quæst. 30.

P. I. 3984. Mund. 3324.

ſarhaddone deficiens, Babylone tyrannidem arripuit. Nabuchodonoſor in libro Judithæ hic dicitur. Deioces quoque ſive Arſæus, Medorum Præfectus, in Media regem agere cœpit. Hunc eodem Judithæ libro Scriptura Arphaxadum appellat. Fugiens Sennacheribus ingentes theſauros, & ſpolia reliquit, quibus valdè ditatus eſt Ezechias, quæ cùm paulo poſt Legatis
P. J. Merodachi oſtendiſſet, ea de re ab E-
3993. ſaia graviter eſt argutus. Anno Mun-
Mund. 3333. di 3333. Regni Ezechiæ 25. Merodachus, Aſſarhaddone annum decimum regnante, devicto, & cæſo, Aſſyriorum Imperio finem impoſuit; quo ad Babylonios, apud quos ante annos 1401. inceperat, translato, initium Babyloniorum Monarchiæ, Nabuchodonoſoris deinde ſtatuæ aureo capite adumbrutæ, dedit. Ob id ipſe, ejuſque poſteri Reges Babyloniorum, ſive Chaldæorum, atque Aſſyriorum paſſim in Sacris literis appellantur. Amici Regis ſecunda fortuna Ezechias uſus, Iſraelitici regni non pauca capta loca ſuæ ditioni addidit. Anno 29. regni Ezechia vita functo, Manaſſes ejus filius regnavit, anno 3338. Regum Judæ deterrimus. Non patrem, ſed avum, & Achabum Iſraelitam æmulatus, mox patria deſerta religione, idolorum ſuperſtitionem inſtauravit. Paſſim plantatis lucis, erectis aris, & ſtatuis, ipſo quoque in templo Baalim adoravit, Jovem, Martem, Venerem, Sa-

Saturnum, Solem, Lunam, Mercurium, omnem denique militiam Cęli. Molocho filios igne lustratos dicavit, & ariolus factus, Magiam idololatriæ conjunxit. Tantorum scelerum objurgatores non passus, Hierosolymam Sanctorum virorum cędibus replevit. In his Esaias Propheta, quem lignea serra a vertice per medium secuit. Verùm septimo regni sui anno impietatis suæ divino Numini pęnas dedit. Merodacho thesauris ejus inhiante, ab ejus exercitu captus, & vinctus Babylonem est abductus. Postero anno idem Merodachus Arphaxadum Medorum regem devicit, quo ipso anno Manasses malis edoctus, ad Dominum conversus, ab eodem in Regnum restitutus est, qui deinceps extirpandæ superstitioni incubuit. * *Ad hæc verò tempora Judithæ historia pertinet.* Multis victoriis elatus Merodachus universum Orbem suo subjugandi Imperio consilium iniit. Id Holoferni militiæ principi, exequendum dedit. At a Juditha in Bethuliæ obsidione cæso Holoferne, inglorius deinceps vixit. Asiæ populi avitam libertatem recuperarunt: Medi pristinam Rempublicam restituerunt, quæ ad Cyri usque tempora propriis sub Regibus stetit. Anno regni 52. Merodachum filius ejus Ben-Merodachus excepit. Regnavit Manasses annos 55. Post ipsum Amon ejus filius ad regnum evectus priorem patris vitam imi-

* Quæst. 31.

tatus, altero regni sui anno ab suis peremptus est.

P. J. 4055. Mund. 3395. Josias octennis patri Amoni suffectus. Hic 327. annis ante adversus Jeroboam regem Israel, dum in Bethel super altare vitulo incensum offerret, familiæ Davidis idolorum eversor nasciturus a Jaddo propheta nominatim prænunciatus, clarus sanctitate, & religione, Regni habenas adeptus, adjutore sibi Jeremia propheta, impiorum parentum lucos succidit, aras evertit, idola contrivit, profanos ministros sustulit, & combussit, divinumque cultum ubique restituit. Anno ejus 14. Nabolassar, qui & Nabuchodonosor, postquam cum patre octo annos regnasset, solus deinceps, eo mortuo, imperavit. Quarto abhinc anno Josias, collecta pecunia, Templi instaurationem est aggressus. In eo reperto legis, sive Deuteronomii sacro libro, ad ejus lectionem præ terrore malorum, quæ desertoribus in eo denunciabantur, vestimenta sua scidit. Consulta super his Holda prophetissa, accito ad se populo, & juramento ad legis observationem adacto, fœdus cum Domino renovavit. Pascha deinde celeberrimo apparatu celebravit. Trigesimo primo regni sui anno, dum Nechaum Ægypti regem adversus Babylonios proficiscentem transitu per Judæam prohibet, in prælio est cæsus; cum quo religio quoque extincta, ab ejus filiis restituto rursus idolorum cul-

cultu. Hi quatuor fuerunt, Johanam ante eum vita functus, Eliachim, sive Eliacim, qui & Joachim, & Jechonias Matth. c. 1. 11. Joachaz, Sellum quoque, & Jechonias nuncupatus, & Matthanias, qui & Sedecias. Joachaz, mortuo patre, regnum invasit. Sed post tres menses a Nechao, ex bello contra Babylonios revertente, eo spoliatus, in Ægyptum abductus, Judæam amplius non vidit. Eliachim ab Ægyptio, ejus nomine in Joachim mutato, in locum ejus, tributum pactus, substitutus. Qui ob id Nabuchodonosorem hostem passus, anno regni tertio ab ejus filio Nabuchodonosore Magno deinde appellato, qui defuncto patri hoc ipso anno successit, capta Hierosolyma, cum multis captivis, in quibus Daniel, & ejus socii, Babylonem est abductus. Postero anno, tributo pacto, relictisq; obsidibus Daniele, ejusque sociis liber dimissus, aliquot post annis cum Pharaone icto fędere, Nabuchodonosori rebellans, undecimo regni anno ab eodem, dum Tyrum obsideret, rursus captus, est interfectus. Joachinus, qui & Jechonias Matth. c. 1. 12. ejus filius ab Nabuchodonosore in locum ejus surrogatus, Antè decem cum patre annis regnaverat, solus, par impietate parenti, tres menses, & decem dies regnum tenuit. Deinde veritus Nabuchodonosor, ne junctus Ægyptiis, patris necem ulcisceretur,

Hierosolymam reversus, regia spoliata domo, & templo, cum decem millibus principum populi, inter quos etiam Ezechiel, Babylonem captivum misit, ubi in carcere annos septem & triginta transegit. Patruus ejus Matthanias, Regum Judæ postremus post ipsum regnavit, quem Nabuchodonosor Sedeciam vocatum ei suffecit. Joachini captivitatis anno tertio Babylone historia Susannæ contigit. Sedecias octavo regni sui anno Ægyptiis copiis confisus, ab Nabuchodonosore deficiens, Hierosolymis a Babylonio post profligatum AEgyptium obsessus, tertio obsidionis anno Chaldæis urbe potitis, dum fugeret, comprehensus, ad Nabuchodonosorem tum in Deblatha agentem adductus, ubi jugulari ante se filios vidisset, excæcatus, cavea est inclusus, Babylonem abducendus. Captivi Regis calamitatem extremum captæ urbis excidium excepit. Ingenti civium hostes edita cæde, expilato templo, direptis domibus, postero an-

P: J. 4107. Mund. 3447. * Quæst. 32.

no 3447. Nabuchodonosoris jussione eam cum templo incenderunt, & solo æquarunt. * *Ea in urbis, & templi conflagratione sacros omnes libros periisse quidam non recte senserunt.* Id incendium Arca evasit ab Jeremia unà cum altari Incensi, igne sacro, & tabernaculo Moysis in Montem Nebo trans Jordanum delata, & abscondita. Hoc ipso anno Sedecias Babylonem est abductus, & cum ipso populus; atque uni-

universa templi supellex. Carcere ibi inclusus post alterum annum mortuus est. * *Ab hac Hierosolymorum clade septuaginta Babylonicæ captivitatis anni ab Jeremia populo, qui Babylonem fuerat abductus, denunciati, numerantur.* *Quest. 33.
Everso Nabuchodonosor Judæorum Regno, Tyro quoque eodem fermè tempore potitus, & Sidone, quarto abhinc anno novos populos, & regna suo adjecit Imperio, Ægyptum, Æthiopas, Philistæos, Idumæos, Syros, Moabitas, Ammonitas, Arabes: Insequente anno Persas, Medos, quæque ad hos defecerat, Ninivem, quam captam evertit. Anno postero 3453. mirandum statuæ somnium vidit, quod Daniele interpretato, ejus Sapientiam admiratus, eundem secundùm se in Imperio constituit, ejusque Deum, rerum omnium auctorem est confessus. Mox divinos affectans honores, post biennium ingenti sibi ex auro erecta statua, se in ea jussit adorari, quam impietatem tres Danielis socios, Ananiam, Azariam, Misaëlem perhorrescentes, ardentem in fornacem projici mandavit. Sed eis flamma, extinctis, qui circum erant, Chaldæis, & ministris, parcente, ad spectaculum evocatus, in stuporem actus, Provinciarum exinde Præfectos creavit, atque Hebræorum Deum nova confessione prædicans, toto Imperio honorari edixit. Sexto post anno, Mundi 3463. alteram mi-

ram

ræ arboris visionem habuit. Hanc quoque Daniel interpretatus, ob ejus superbiam Regno ipsum spoliatum, ad saltus, & nemora abactum iri, septem annis cum feris versaturum, herbam, & fœnum comesturum, imminentia mala ut evitaret, eleemosynis sua redimere peccata, hortatus
* Quæst. 34. est. * *Hæc evenerunt Nabuchodonosori.* Spreto Prophetæ consilio, post annum, dum in solario regii palatii in Babylonis amplitudine gloriatur, repente furore corripitur: tum vinculorum impatiens, dum se feram ratus, fugam quàm maxime tentat, ad Sylvas ejicitur. Post septem annos sibi, & regno ab Deo restitutus, eundem deinceps unum, abjecta idololatria, coluit. Cujus cultum dum toto Imperio stabilire contendit, poste-
P. J. ro anno, regni sui 44. obiit. Eodem
4132. anno Evvilmerodachus filius ei suc-
Mund. 3472. cessit. Mox Joachinum, sive Jechoniam carcere eductum in primis amicis habuit. Anno, qui est insecutus, Beli idolo Daniel everso cum ejus templo, extinctoque Dracone, altero Babyloniorum Deo, in Regem, cujus permissu ea perpetraverat, exorta seditione, populi voluntati permissus, in lacum leonum conjectus est. Sex in eo dies fuit, per Habacuc prophetam Babylonem e Judæa translatum ab Domino pastus. Quo Rex septimo die vivo reperto, Deo ejus commendato, inde erepto, eundem in lacum sedi-

tio-

tionis auctores projici jussit. Tertio abhinc anno vita functus est Joachinus, octo filiorum pater. Horum secundogenitus Salathiel, qui genuit Zorobabelem. Imperii anno 23. Evvilmerodachus regnare desiit. Balthassar ejus filius post ipsum imperavit, Babyloniorum Imperator postremus. Hic Hierosolymitani templi sacris vasis profano convivio, mille optimatibus suis apparato, adhibitis, semet, & Imperium perdidit. Latam divinitus sententiam, Angelica manu in pariete tribus verbis depictam, ei Daniel legit. Nec Numen, Propheta torque aurea, & purpura, regiis Insignibus, tertio in Imperio renunciato, placare potuit. Eadem nocte anno regni sui 22. capta à Persarum rege Cyro Babylone, cæsus est, & Babyloniorum Imperium post annos 83. eversum. Persarum Imperium ex Babylonici interitu exortum per pectus argenteum, & brachia ab Nabuchodonosoris statua ante designatum. Ejus conditor idem Cyrus. Is tum annum tertium & vigesimum intentatam sibi ab Avo Astyage (Hunc Assuerum Daniel vocat) necem ultus, Medorum, & Persarum regno eo spoliato, Persis regnabat. Darius ejus Socer Astyagis ex adoptione filius regni collega erat. Avi regnum cum illo partitus, in Media regnare permisit. Eidem captam Babylonem tradidit. Inter Babylonios captivos hic Danielem quoque in Me-

P. J. 4176. Mund 3516.

diam

diam abduxit. Ecbatanis ob ejus ſapientiam Propheta apud Regem primas honoris adeptus, Medorum Principum invidiam incurrens, ab his ſurrepto Regi decreto, ne quis intra 30 dies quidpiam ab ullo vel Deo, vel homine, præterquam ab Rege, peteret, regio Daniel neglecto edicto, iiſdem agentibus, in lacum leonum rurſus miſſus eſt. Quo poſtero mane rex ſalvo invento, ad id prodigium in eundem lacum accuſatoribus cum filiis, & uxoribus abjici juſſis, ad Danielis verum Deum converſus eſt; quem cum toto regno ſuo coli juſſiſſet, hoc ipſo anno, uni Cyro relicto Imperio, ad eundem migravit. Solicitus hæc inter Daniel de populi ſui liberatione, quoniam hic idem annus ſeptuaginta annorum Babylonicæ captivitatis, quos Jeremias prædixerat, poſtremus erat, dum ejus ſolutionem Deum rogat, non ſolùm poſtulata obtinuit, ſed etiam, cùm ea populi liberatio eſſet figura illius, qua Dei populus de ſervitute diaboli per Chriſtum eripiendus erat, miſſo ad eum Gabriele, intra 70 annorum Hebdomadas tempus venturi Meſſiæ didicit.

SEX-

SEXTA MUNDI ÆTAS.

IMpetrato populo Prophetæ precibus statuto tempore in Judæam reditu, Cyrus, quem ejus libertatis Esaias Propheta ducentis, & decem ante annis vindicem, & assertorem vaticinatus fuerat, id a Daniele edoctus, proximo anno 3517, qui primus ejus Imperii fuit, publico edicto patrias sedes Judæos repetere permisit. Sacra eisdem vasa reddi jussit, & libera facta Hierosolymæ reædificandæ potestate, Templum regio sumptu instaurari voluit. Qui sunt reversi, 42360. Plerique Babylone acquisitas possessiones relinquere noluerunt. In Regnum restituti Judæi, id integrum amplius non recuperarunt. Deinceps Persarum primùm, deinde Græcorum, Seleucidarum præsertim, & demum Romanorum ferme perpetuo vectigales, donec occiso Messia Christo Domino, novæ rursus, ac perpetuæ captivitati divinitus sunt mancipati. His temporibus summa Reipublicæ auctoritas modò penes Duces, mo-

P. J. 4177. Mund. 3517.

modò apud Pontifices, aut utrosque, ex Regum; quibus suberant, voluntate, aut permissione. Sed Duces perpauci. Zorobabelem, Esdram, Nehemiam tantùm Scriptura memorat. Pontifices plerumque supremum Magistratum gesserunt. Josue filius Josedechi, quartus & trigesimus ab Aarone Pontifex, & Zorobabel filius Salathielis, instauratam Rempublicam unà primi administrarunt. Reversi e captivitate Judæi, suas singuli urbes adierunt. Mense septimo, quo festum Tabernaculorum celebrabatur, Hierosolymis congregati, novum erectum Altare dedicarunt. Postero anno, mense secundo Templi jacta sunt fundamenta. Sed mox Cyri Præfectis pecunia corruptis a Cuthæis, sive Samaritis, ea in fabrica repulsam passis, necessarios sumptus non præbentibus, intermissum ferme opus est. Extincto septimo Imperii sui anno in bello adversus Massagetas Cyro, eorundem calumniis imperante Cambyse ejus filio, urbis reædificatione impedita, a templi quoque opere omnino cessatum est. Octavo Regni anno Cambyse vita functo, anno secundo Darii Hystaspis, Cambysis successoris, post novem annos opus intermissum est repetitum. Hic adhuc privatus vovit, si Imperium adipisceretur, Hierosolymitanum templum se reædificaturum. Illud adeptus votum exsolvit. Zorobabeli, veteri ejus amico, qui, au-

audita ejus inauguratione, Susam venerat, post egregiam in laudem veritatis coram ejus Principibus habita oratione, templi instaurationem permisit. Redeuntem Hierosolymam Zorobabelem multa Judæorum turba, qui Babylone ante substiterant, secuta est. Anno Mundi 3537, Darii sexto, quatuor circiter annis Templum impensis regiis absolutum tertio die Mensis Adar est dedicatum. * *Hoc templum ipsius Christi tempore stetit*, ejus præsentia priore gloriosius, uti Aggæus Propheta hoc ipso tempore de eo vaticinatus est. Josue, & Zorobabel annos unum & quinquaginta Rempublicam rexerunt. Hoc ipso anno Darius objit. Joacimus filius, Dux, & Pontifex, apud Persas Xerse Darii filio regnante, annos duos & viginti populum gubernavit. Totidem Xerses Imperium tenuit. Quo Artabani regii satellitis principis conjuratione extincto, Artaxerses Longimanus filius, sublato tyranno imperavit. * *Hic est Assuerus maritus Esther*. Joacimo filius Eliasib successit. Hoc tempore Esdras Sacerdos, sapientia sua, & sanctitate Artaxersis gratiam est promeritus. Potestatem Hierosolymam veniendi ut populi corruptos mores corrigeret, & divinam legem edoceret, precatus, voti compos factus est, summo præterea imperio impertitus. Anno Artaxersis septimo ejus in Judæam cum pluribus sociis adven-

*Quæst. 35.

P. J. 4197. Mund. 3537.

*Quæst. 36.

tus,

tus contigit. Depravatum Hierosolymis Dei cultum restituit, connubia populi cum alienigenis dissolvit, divinæ legis observationem reparavit.
Per. Jul. 4269. Mund. 3609. Novum deinde Ducem Artaxerses anno Imperii vigesimo populo dedit. Hic Nehemias Sacerdos, regius pincerna. Hactenus tacito tantùm Persarum regum consensu extructa Hierosolyma, publico edicto Artaxerses muros ejus ædificandi, & plateas Nehemiæ potestatem fecit. * *Ab hoc tempore septuaginta Danielis Hebdomadæ incboantur*. Duobus & quinquaginta diebus vigesima quinta die sexti mensis Elul completum opus, die vigesima sexta ejusdem mensis congregatis Sacerdotibus, & Levitis cum universo populo sacro ritu dedicatum est. Hanc Urbis dedicationem Festa septimi mensis Tisri summa religione, & lætitia a populo celebrata, exceperunt. Festum vid. Novilunii, sive clangoris, & Tubarum, in quo Esdras librum legis populo legit: Festum Expiationis, sive Propitiationis, & Festum Scenopegiæ, seu Tabernaculorum, quod multiplici miraculo Deus illustre reddidit. Arcâ, Altari incensi, & Moysis Tabernaculo, quæ Jeremias cum sacro igne ante annos 163 absconderat, Nehemiæ jussu inventis, & Hierosolymam delatis (* *Hæc enim novum quoque Templum habuit*) sacer ignis crassam in aquam versus, repertus est. Hac asper-

* Quæst. 37.

* Quæst. 38.

aspersum aqua sacrificium, mox refulgente sole, qui prius sub nube latebat, est accensum. Ad quod prodigium reliqua aqua, jubente Nehemia, in lapideas urnas immissa, mox igne ex eis emicante, miraculum iteratum est. Quibus portentis Artaxerses auditis, locum, ubi ignis reconditus ante fuerat, sanctum, & religiosum templi instar haberi voluit, eumque ac Sacerdotes multis donariis, & muneribus decoravit. Transacta Tabernaculorum celebritate, a populo fœdus cum Domino est renovatum. Nehemiæ deinde, & Esdræ in sacris colligendis libris studium fuit. Nehemiæ jussu hos Esdras collegit, in unum quasi corpus compegit, correxit, supplevit; quin profanis æquè ac sacris literis eruditissimus, monumentis cùm patriæ, tum peregrinæ sapientiæ comparatis, Hierosolymis Bibliothecam instruxit. Anno 40 Imperii Artaxerse vita functo, eodem anno Eliasib quoque Pontificatus ejus anno 40, & Nehemias Ducatus 21 excesserunt. Deinceps Sacra Historia usque ad Machabæos quinquaginta & ducentis annis silet.

Jojada filius Eliasib, Persarum Imperatoribus Xerse secundo, Sogdiano, & Dario Notho, Artaxersis filiis, vigintiannis Dux populi, & Pontifex fuit. Jojadam ejus filius Jonathas, Persis regnante Artaxerse Mnemone, Darii Nothi filio, quadraginta annis exce- P. J. 4290. Mund. 3630.

excepit. Hunc Jeddoa ejus filius annis uno & quadraginta, Persas moderante Artaxerse Ocho, qui parenti Mnemoni successit, Arse deinde filio, & post Arsem Dario Codomano, Arsamo, fratre Ochi, nato; demum rerum in Asia magno Alexandro, Philippi regis Macedonum filio, potiente, qui, devicto Dario, Persarum Principatum anno ab ejus ortu 208 evertit, & Græcorum Imperium, Nabuchodonosoris statuæ ferreo ventre, & femoribus figuratum, funda-

P. J. tre, & femoribus figuratum, funda-
4384. vit, anno Mundi 3724. Alexandro se-
Mun. ptimo, quàm Darium devicerat, an-
3724. no Babylone extincto, eodem anno mortuus est Jeddoa. Huic Onias filius successit. illius Imperium Duces ejus inter se partiti sunt. Hi primùm plures, sed mox quatuor ad quatuor ventos juxta Danielis prophetiam quatuor præcipua Regna constituerunt. Ad meridiem Ægyptiacum Ptolemæus, Lagi filius. Asiaticum ad septemtrionem Antigonus. Seleucus Nicanor Syriacum ad Orientem. Macedonicum ad occidentem Philippus frater Magni Alexandri, qui & Arideus. Omnium postremus Seleucus Antiochi filius anno Mundi 3743, a parto verò per Magnum Alexandrum Græcorum Imperio 20, ab illius obitu 13, Syriæ Regnum fundavit. Ab hoc tempore initium Græci Imperii, aut Seleucidarum Æra, sive Alexandrea Epocha computatur. A Seleuco, quàm

quàm ab Alexandro Imperii conditore Asiani, eosque secuti Judæi, hujus Imperii tempora numerare maluerunt. Anno 24 Ducatus & Pontificatus Onias a vivis abjit. Simon filius, cognomine Justus, post parentem 12 annos populum rexit. Illo mortuo, loco Oniæ filii pueri Eleazarus frater regnavit. Hic versionem sacræ Scripturæ ex Hebræo in Græcum sermonem a Philadelpho, qui post patrem Ptolemæum Lagidam in Ægypto imperavit, rogatus, id Regi gratificatus est, anno 3775. Duo & septuaginta Rabbini Alexandriam ab eo missi, * *Septuaginta duabus cellulis inclusi*, intra totidem dies summo consensu non sine miraculo sacrum textum verterunt. Insignem Bibliothecam, quam tum Philadelphus Alexandriæ instituebat, sacris quoque Hebræorum voluminibus exornare optavit. Appropinquante Mundi Redemptoris adventu, quoniam tum Græcæ linguæ usus frequens erat, sacra de eo oracula ut toto Orbe evulgarentur, atque obstinati Hebræi, qui eum non erant recepturi, a Christianis ipsorum armis confoderentur, Deus Philadelpho eam mentem dedit. Eleazaro post annos 32 vita functo, patruus ejus Manasses, Oniæ frater, novem annos Rempublicam administravit. Post ipsum 14 annos Onias secundus, Simonis Justi filius. Deinde annos quinque & viginti hujus filius Simon secun-

P. J. 4435. Mund. 3775.

* Quæst. 39.

cundus. Hunc 36 annos filius excepit Onias tertius, vir pius, & sanctus. Is 33 Pontificatus anno Jasonem fratrem invasorem est passus. Diuturni fratris Principatus Jason pertæsus, Pontificatum ab rege Antiocho Epiphane emit. Hic Antiochus Magni Antiochi filius natu minor, fratre Seleuco Philopatore Heliodori Ducis scelere extincto, Regnum nepotis Demetrii Soteris invaserat. Onias ut fratris insidias vitaret, Antiochiam secus Daphnem, Asyli locum, secessit. Pontificatu Jason potitus, interdicto divino cultu, gentiles ritus Hierosolymam invexit. Hæc malorum causa, quæ deinceps Judaicam Rempublicam fere pessundederunt, renovatam superstitionem divino Numine ulciscente. Sed Jason occupatum Pontificatum diu non tenuit. Quarto pseudo ejus pontificatus anno Menelaus Beniamita trecenta talenta amplius, quàm ille pendebat, regi pollicitus, Pontifex constitutus est. Hic initio suæ tyrannidis Andronici, regii Præfecti opera sanctum virum Oniam sustulit. Sex annos Pseudopontifex sedit. Hunc sede deturbare Jason conatus, Antiochi iram in se, & in populum vertit. Expeditionem in Ægyptum Antiochus susceperat, quando Jason, falso de ejus morte rumore sparso, id tentavit. Ejus conatu Rex audito a C. Popilio Lænate Romanorum Legato Ægypto recedere jussus, in Judæos arma

ma convertit. Capta Hierosolyma anno 3885 nullo ætatis, vel sexus discrimine 40 millia cecidit, totidem vendita servituti mancipavit. Deinde direpta urbe, & templo expilato Antiochiam reversus, post biennium per Apollonium Ducem, & quendam senem cætera mala intulit. Renovatæ sunt cædes, muri urbis eversi, domus incensæ. Antiquata publico edicto Mosaica lege., interdicta est Circumcisio, dies festi sublati, & sacrificia, sacri libri combusti, Templum Jovi olympio dicatum, universi Judæi aut idolis adolere thura, aut dira subire tormenta compulsi. Hic vero multi insignes in patria religione constantia. In his Eleazarus senex, septem fratres Machabæi, & eorum mater, qui glorioso martyrio de immanissimo tyranno triumpharunt. Tota jam Judæa Antiochi furor debacchabatur, cùm Deus periclitanti Reipublicæ, & Religioni, quemadmodum Daniel ante annos 368 hæc mala vaticinatus, prædixerat, modicum auxilium tulit. P. J. 4545. Mund. 3885.

Matthathias de oppido Modin, * *& Sacerdos* de stirpe Joarib, patriæ, & religionis vindex divinitus est suscitatus, qui nobilissimo Machabæorum, sive Assamonæorum Principatui exordium dedit, anno Mundi 3888, * *Imperii Græcorum* 146, ante Christum natum 165. Hic regio occiso Præfecto, ad profanos ritus populum adigente, mox Pontifex, & Dux ab le- P. J. 4548. Mund. 3888.

* Quæst. 40.

* Quæst. 41.

gis æmulatoribus constitutus, contempto Tyranni imperio, reparandæ religioni incubuit. Hostibus, & Apostatis sæpe cæsis, & fugatis, sacrilegas aras diruit, simulachra idolorum contrivit. Hoc ipso anno Matthathia vita functo, Judas cognomine Machabæus natu major filius ei successit. Paternam pietatem æmulatus, collecto mox sex millium exercitu, insignes de hostibus victorias retulit. Apollonium primùm devicit, quo cæso, ejus deinceps gladio est usus. Deinde Seronem, mox Nicanorem, Gorgiam, Timotheum, Bacchidem,
P. J. Antiochi Duces. Denique Lysiam,
4550. qui 60 millia amplius adversus ipsum
Mund. 3890. eduxerat. Altero anno ejus Principatus, hactenus instaurata utcumque Republica, adita Hierosolyma tùm habitatoribus deserta, præter Sionis arcem, ubi quondam Civitas David, quam hostes tenebant, templo idolorum spurcitiis emundato, & sacris rursum ritibus dedicato, renovato tribus annis intermisso divino cultu, Religionem restituit. Postero anno 3891 Antiochus, qui Antiochiæ, Prorege relicto Lysia, superiores Asiæ regiones, & Persidem expilatum abierat, circa Ecbatanam auditis in Judæa acceptis cladibus, mœrore, & iracundia gravem in morbum delapsus, diris viscerum doloribus, & vermibus consumptus, frustra scelerum suorum veniam a Deo postulans,

pe-

periit. Antiochus Eupator, adhuc puer, curatore Lysia, patri successit. Reparationem divini cultus novæ Judæ victoriæ hoc eodem anno exceperunt. Primam reportavit de Idumęis, secundam de Beanitis, tertiam de Ammonitis, quorum Dux Timotheus. Quarta fuit rursus de Gorgia. Gloriosissima quinta, quam tertiò de Timotheo retulit. Quinque Angelis in equis pro eo pugnantibus, amplius hostium 26 millia in prælio ceciderunt. Hac illa non minor, qua paulo post de Lysia secundò triumphavit. Octoginta hostium millia, atque universum regium Equitatum, & 80 elephantos, præeunte in equo Angelo, cecidit, & fugavit. Hæc illi pacem peperit, quæ diuturna non fuit. Anno, qui insecutus est, bellum renovatum. Infestis hostibus, qui in arce Sionis erant, Judæis templum adeuntibus, hanc Judàs obsedit. Tunc Eupator, & Lysias cum peditum centum millibus, viginti millibus equitum, & elephantis duobus & triginta, obsessis auxilio venerunt. Nocturnus Judas illorum castra aggressus, quatuor millia occidit. Novo deinde commisso prælio, hostium multis cæsis, Eleazaro fratre amisso, relicta pugna, Hierosolymam se recepit. Ab Rege in urbe obsessus, victus inopia, ad deditionem adigebatur, cùm ecce divinum auxilium. Hæc inter Philippo (huic duci Antiochus moriturus filium, & regnum

commendarat) Antiochiæ potito, in æmulum ut arma converteret, Lysias pacem regi suasit. Renovata pace, hanc Alcimus, Sacerdos, & apostata paulò post perturbavit. Hunc Eupator, antequam in Judæam veniret, Menelao, quem, tanquam authorem omnium malorum occidi jusserat, substituerat. Postero anno Eupatore cum Lysia extincto ab novo Rege Demetrio Sotere, filio Seleuci Philopatoris, Pseudopontifex confirmatus, contra Judam novas turbas concitavit. Hierosolymam cum Bacchide adveniens, ejus primùm opera Pontificatu potiri tentavit. Irrito Bacchidis conatu, Nicanor ab rege semel, & iterum missus est. Hic primùm Judæ virtutem veritus, simulata pace, eum conatus est comprehendere. Irrita fraude, armis utrinque certatum. Primo prælio hostes quinque millia cæsi, reliqui fugati, qui cum Nicanore in arcem Sionis se receperunt. Ex altera pugna perpauci evaserunt: triginta quinque millia cum Nicanore ceciderunt. Anno sequenti Judam inter & Romanum populum fœdus ictum est. Hic annus sextus, & ultimus Judæ Principatus. Postremùm prælium tertium cum Bacchide injit. Rursus Bacchide cum Alcimo in locum Nicanoris cæsi ab Demetrio misso, Judas ab suis desertus, 800 non amplius stipatus, cum hoste prælium commisit. Integra die fortiter pugnavit,

vit, donec cæsis hostium plurimis, lassitudine magis, quàm vulneribus confectus, cecidit.

Jonathas post mortem fratris eodem anno Principatum obtinuit. Initio latebras quærere compulsus, Alcimo deinde paralysi extincto, facta cum Bacchide pace, Machmis primùm, dein Hierosolymis habitavit. Anno Principatus nono Alexandro Balæ, neglecta Demetrii amicitia, adhærens, purpura, & corona aurea ab eo est decoratus. Hic Antiochi Epiphanis ex Bala concubina filius, postero anno, cæso Demetrio, Syriæ regno potitus est. Quinto abhinc anno exorto bello inter Alexandrum, & Demetrium Nicanorem extincti Demetrii filium, hujus Ducem Apollonium Jonathas non semel devicit. Insequente anno, Mundi 3908, sublato Alexandro, muneribus Demetrii benevolentiam sibi conciliavit. Hunc altero regni anno Antiochiæ ob populi seditionem vita periclitantem, tribus Judæorum millibus auxilio missis, periculo liberavit, Antiochenorum centum millibus cæsis. Sed Demetrio periculo perfuncto, promissi, ac beneficii immemore, Sionis arcem reddere abnuente, Jonathas, eo deserto, Antiocho Dei Alexandri filio favit. Eodem anno Antiochum adhuc puerum, Dux ejus Tryphon, victo, fugatoque Demetrio, capta Antiochia, Syriæ Regem constituit. Eidem Jona-

P. J. 4554. Mund. 3894.

nathas Palæstinorum regionem subegit. Anno, qui est insecutus, Jonathas Romanum fœdus renovavit, & Spartanum, Arium inter Spartanorum regem, & Oniam secundum, Pontificem, quondam ictum. Verùm Tryphon Syriæ regnum affectans, Jonatham proditionis suæ ultorem timens, antea eundem tollere cogitavit. Postero anno, 3912, ut eum comprehenderet in Judæam venit. Sed Jonatha cum 40 millibus sibi occurrente, territus, perfidiam dissimulavit. Honorificè verò exceptum, ut secum, dimisso exercitu, Ptolemaidem diverteret, Principatum illius urbis pollicitus, invitavit. Assumptis Jonathas mille viris abjit. At urbem ingressus, portis ejus clausis, cæsis ipsius viris, captus est, & vinculis traditus, ac
P. J. 4572. paulo post cum duobus filiis necatus,
Mun. Principatus anno 19. Hoc ipso anno
3912. ei successit Simon ejus frater; Tryphon verò sublato rege adolescentulo, Syriæ regnum invasit. Sed Simon cum Demetrio, qui in superioribus Asiæ regionibus versabatur, juncto fœdere, ab eodem immunem a tributis, ac liberam regionem obtinuit. Hanc libertatem, excusso gentium jugo, Judæi anno Græcorum 170 sunt adepti, tanta eorum lætitia, ut hujus primi anni ejus Principatus nota deinceps contractus, & publica Gesta consignari voluerint. Hanc populi lætitiam auxit pax, quæ postero an-

no Simone Gaza, & arce Sionis potito, renovatoque cùm Romanis fœdere, excepit libertatem. Verùm quarto abhinc anno utramque Antiochus Sidetes perturbavit. Hic Demetrii Soteris natu minor. Hæc inter fratre Nicanore prælio a Parthorum rege Arſace victo, & capto, hujus uxor Cleopatra ad regnum ipſum evexit, & thalamum. * *Hic eſt Antiochus, qui Machab. lib. 2. c. 1. in Naneę templo in Perſide cęſus dicitur.* *Quæſt. 42.
Tryphone nono tyrannidis anno extincto, Sidetes per Cendebæum ducem Syriæ regno rurſus Judæam adjicere tentavit. Irrita vi, exercitu ejus a filiis Simonis, Juda, & Joanne cæſo, & fugato, dolos, & inſidias adhibuit. Ptolemæum Jerichuntinæ provinciæ Præfectum, Simonis generum, Principatum pollicitus ad perdendum ſocerum induxit. Hic ergo anno ſequenti ſocerum, obeuntem regionem cum Juda, & Matthathia, convivio exceptum, unà cum filiis necavit, octavo anno ejus Principatus. In Simonis morte Sacra Scriptura narrationem ſuam abſolvit. Unam tantùm deinde Epiſtolam Machab. lib. 2. c. 1. & 2. memorat, quam Judæi Hieroſolymitani ad Judæos in Ægypto agentes miſerunt. Judaicam deinceps hiſtoriam Joſephus Judæus ſuppeditat.

Joannes, cognomine Hyrcanus, extincto patre, Principatum capeſſivit. Hunc quoque parricida Ptolemæus P. J. 4580. Mund. 3920.

 tol-

tollere conatus eſt. Militiæ à patre præfectus tum Gazæ agebat. Sed de paterna cæde maturè monitus, ſicarios comprehenſos occidit. Nimirùm Simonis familiam Dominus conſervatam voluit; quæ deinceps ad Herodem uſque per annos 105. eſt propagata. Occiſis Joannes ſicariis, relicta Gaza, Hieroſolymam accurrit. Hanc Ptolemæus occupare tentavit; ſed Joannes antevertit. Verùm Antiocho adveniente, Hieroſolymis eſt obſeſſus. Pace poſt annum compoſita, ſoluta eſt obſidio. Gratia feſti Scenopegiæ ſeptem dierum inducias Antiochus rogatus, has non ſolùm conceſſit, verùm & magnifices victimas miſit, tauros auratis cornibus, aurea pocula, & argentea, omnis generis aromatibus referta. Hæc Regis pietas aditum paci aperuit, quam Joannes ea Antiochi liberalitate, ac religione permotus petiit, & obtinuit. Deinde ſequenti anno in Parthica expeditione illius ſocius eo in bello cum Hyrcanis acie congreſſus, Hyrcani nomen accepit. Tribus præliis Antiocho Partorum victore, Phraates, Arſacis patris ſucceſſor, ad ſua tuenda ut compelleret, fratrem ejus Nicanorem ad recuperandum regnum in Syriam dimiſit. At Antiocho altero expeditionis anno in templo deæ Naneæ, dum ejus pecuniis inhians, deam uxorem accipit, ab Sacerdotibus lapidibus obruto, eodem anno

Joan-

Joannes Judæam repetiit. Regno rursùs Demetrius potitus, quatuor tantùm id annos tenuit. Alexandrum Zebinam tyrannum passus, & Cleopatram ob Rhodogunam Arsacis filiam, quam novam uxorem ab eo acceperat, infensam, prælio ab ipso victus, Cleopatræ jussu est occisus. Deinceps Seleucidæ fratres domesticis bellis impliciti, & obtriti, pacatam suam Judæis regionem reliquerunt. Horum dissidiis Hyrcanus usus Principatum suum amplificavit. Medabam, Samegam, Sichimam addidit, & montem Garizim, everso Samaritano templo, quod ante annos 200. Sanaballetes, dux Darii ad Alexandrum deficiens, ejusdem permissione in gratiam generi sui Manassis, fratris Jeddoæ Pontificis, Hierosolymitani instar in eo extruxerat. Idumæam, coactis incolis Judaicos ritus cum Circumcisione suscipere, & post innovatum cum Romanis fœdus Samariam, quam per filios Aristobulum, & Antigonum captam solo æquavit. Unum & triginta annos regnavit. Aristobulus natu major ei successit. Hic primus, imposito sibi diadema, Principatum in Regnum vertit. Subactos Ithuræos circumcisionem, & cæteros Judæorum ritus amplecti compulit. Uxoris Salomes, quæ & Alexandra, deceptus calumniis, matrem, & Antigonum sustulit, tres reliquos fratres vinculis P. J. 4611. Mund. 3951.

tradidit. Unum annum imperavit, sanguinis vomitione extinctus. Salome, mortuo Aristobulo, ejusdem fratribus solutis, Jannæum, qui & Alexander, regni, & conjugii participem fecit. Is regno potitus, alterum fratrem, insidias sibi molientem peremit, alterum privata vita contentum servavit. Hominum crudelissimus, cum Ptolemæo Lathuro Obeda Arabe, Demetrio Eucero syro, atque aliis bellis turpiter gestis, populares tumultus, & seditiones passus, amplius Judæorum quinquaginta millia occidit. Hujus principatus anno 19 Philippo Seleucidarum postremo, nato Antiocho Grypo, Demetrii Nicanoris filio vita functo, imperium Græcorum post annos 228. in Syria desiit. Post Philippi mortem Syri Tigrani Armenorum Regi regnum contulerunt. Id Tigranes 18. annos tenuit; quo deinde a magno Pompejo spoliato, Romanis deinceps Syria paruit. Septem & viginti annos Jannæus regnavit, quartana febri ex temulentia contracta consumptus.

P. J. 4639. Mund. 3979. Post Jannæum pontificatus deinceps a principatu separari cœptus. Salome, Sannæo defuncto, rerum potita est. Hyrcanus filius natu major pontificatum gessit. Annis 9. Salome, Aristobulo natu minore, militiæ præfecto, regnum rexit. Post ejus obitum anno sequenti 3988. Aristobulus, qui vivente adhuc Matre, regni partem occupa-

cuparat, Hyrcano, cui illa regnum reliquerat, bellum movit. Prælio victor, fratrem privata vita contentum tantùm non sustulit. Hoc ipso anno Pompejus Syria est potitus, ea provincia Tigrane decedere jusso. Postero anno Hyrcanus amissum regnum per Aretam regem Arabum, curante Antipatro Herodis patre, frustra recuperare tentavit. Tres annos, & totidem menses Aristobulus occupatum regnum, & pontificatum tenuit. Deinde eorum causa ad Pompejum delata, hic, Aristobulo, dum ejus judicium refugit; vinculis tradito, & Hierosolyma capta, Hyrcanum in pontificatum, & regnum, sed non in pristinam dignitatem restituit, eidem regio interdicto diademate, &, tributo imposito, adempta parta ante annos 89. libertate, rursus Judæis amplius non reparanda. Altero post anno Pompejus Aristobulum unà cum filiis Alexandro, & Antigono, totidemque filiabus Romam abduxit. Sed, Alexandro ex itinere clam dilapso, novas turbas Hyrcanus passus est. Has deinde Aristobulus auxit, Roma cum Antigono fuga elapsus; quem Gabinius Præses Syriæ captum Romam remisit. Verùm exorto anno mundi 4005. civili bello inter Pompejum, & Julium Cæsarem, Aristobulus in Judæam a Cæsare dimissus, a Pompejanis veneno est extinctus. Eodem anno Metellus Scipio Syriæ

P. J. 4651. Mund. 3991.

P. J. 4665. Mund. 4005.

P. J. 4666. Mund. 4006. Præses jussu Pompeji Alexandrum Antiochiæ securi percussit. Anno, qui est insecutus Pharsalico prælio Pompejo victo Romana Respublica partam ante annos 461, Regibus post annos 244. ejectis, libertatem rursus amisit. Julius Cæsar, sublato Æmulo, Romanum Imperium, Nabuchodonosoris statuæ tibiis ferreis, & pedibus partim ferreis, partim fictilibus 553 ante annis repræsentatum instituit. Post annum, nempe anno Mundi 4008, idem Cæsar anno correcto nomen deinceps illi fecit. Alternis annis Mercedonii Mensis dierum 22. aut 23. intercalandi facta Pontificibus potestate, hi deinde dum Magistratus affectantium, vel jam gerentium cupiditatem simul & suam pascentes, annum decurtant, aut producunt, ejusdem tempora perturbarunt. Ver ferme in Æstatem incidebat, Aestas in Autumnum, hic in Hyemem, Vernum tempus hæc occupabat: Intercalatis Cæsar inter Novembrem, & Decembrem diebus septem & sexaginta Sosigenis periti Mathematici opera hanc temporum confusionem sustulit. Vernum Aequinoctium ab initio Junii, quò defluxerat, ad diem 25 Martii revocavit, ita Autumnale, & solstitia suam in sedem restituit. Omisso verò Lunari anno Pompiliano, solarem annum dierum 365. instituit; in quo quoniam dies 365. solis cursum non æquabant,

sed

ſed ſex ferme horæ ſupererant, quarto quoque unum diem, qui ex ſuperantibus horis conſurgebat, intercalari voluit, eodem menſe, & die, quo in priori anno Mercedonius menſis intercalari ſolebat, nempe inter Terminalia, & Regifugium, ſeu poſt diem 23. Februarii; ita tamen, ut bis pronunciaretur dies 24. ſeu more Romano *biſsexto Calendas Martii*, quem propterea diem biſſextum appellavit, a quo annus ipſe deinde Biſſextilis eſt nuncupatus. Annus Mundi 4009. Romanæ Urbis 708. eſt annus primus Julianus. Inſequente anno Cæſare, quinto ejus Imperii, a Conjuratis extincto, poſtero anno, Mundi 4011, Principatus Cæſaris Octaviani, Julii Cæſaris ex Attia ſororis ejus filia nepos, inchoatus. A primo ejus Conſulatu, & inchoato Triumviratu, hoc anno cum M. Antonio, & Lepido ab eo inito, omnes ferme antiqui, & recentes ſcriptores Imperii ejus exordium ducunt. Altero Principatus ejus anno conjuratorum Principum M. Bruti, & C. Caſſii Philippenſi pugna Octavianus, & M. Antonius victores, neglecto Lepido, Imperium rurſus inter ſe ſunt partiti. Antonio Oriens ceſſit, Occidens Octaviano. Verùm, dum Antonius turpibus Cleopatræ amoribus ſe totum dedit, a Parthis duce Labieno Pompejanarum partium Syria occupata, horum ope Antigonus Ariſtobuli filius, mille talen-

P. J. 4669. Mun. 4009.

P. J. 4674. Mundi. 4014.

ta pollicitus, pulso Hyrcano patruo, atque auribus mutilato ab iis abducto, Regno potitus est; Hoc tempore Hyrcanus dignitate tantùm Reipublicæ præerat. Herodes, & Phasaëlus filii Antipatri, quem Julius Cæsar Procuratorem Judææ constituerat, superiori anno Judæorum Tetrarchæ instituti, Judæam administrabant. Hos Antonius Antipatro parente paulo ante vita functo surrogavit. Antigonus eos comprehendi curavit. Captus Phasaëlus vinculorum impatiens, capite ad saxum alliso, est extinctus. At Herodes fuga elapsus, Romam profugit. Hoc ipso anno M. Antonius ante Parthorum in Syriam irruptionem ex Ægypto Romam advenerat. Herodis Antonio, & Octaviano misertis, mox convocato Senatu, Antigono Reipublicæ hoste declarato, Herodi Judææ regnum est
P. J. 4677. datum. Triennio ferme in Judæam
Mund. Herodes reversus cum Antigono de-
4017. certavit. Demum Sosio Antonii duce opem ferente, Hierosolymis obsessum ad deditionem compulit anno Mundi 4017; qui Antiochiam deductus, a M. Antonio multis pecuniis ab Herode inducto, securi percussus Assamonæorum sive Machabæorum Principatui post annos 130. finem imposuit. Quo tempore Hierosolyma obsidebatur, Herodes Mariamnam filiam Alexandri fratris Antigoni, & Alexandræ filiæ ejecti Hyrcani, uxorem duxit.

xit. His nuptiis Judæorum animos sibi conciliare ſtuduit * *Herode genere Aſcalonita* Judææ regno potito, tum demum Jacobi vaticinium, quo Patriarcha ante annos 1673 prædixerat, non defecturum ante Chriſti Domini adventum Principem Regni Judæ, adimpletum eſt. Id verò Herodes vi occupatum tyrannicè deinde, Aſſamonæorum regia ſtirpe extincta, ſibi ſtabilivit. Quarto abhinc anno Ariſtobulum filium Alexandri, & Mariamnæ fratrem; quem Hyrcano, matre ejus Alexandra per Cleopatram apud M. Antonium agente, loco Ananeli ſuffecerat, ſuſtulit, rurſus Hyrcano Ananelo ſubſtituto. Hyrcanum a Phraate Parthorum rege in patriam dimiſſum honorificè, diſſimulata perfidia, excepit. Aurium prætenta detruncatione, Pontificatu primùm privavit, deinde vita. Exorto inter M. Antonium, & Cæſarem bello anno mundi 4023, M. Antonii partes ille ſecutus, hoc pugna ad Actium victo, veritus ne Cæſar in Hyrcanum regnum transferret; antequam Rhodum ad eum abiret, eundem per calumniam, quaſi regnum ambientem occidit, Pontificatus ejus anno 49. Illa porro Cæſaris victoria, ſequenti anno extincto in Ægypto Antonio cum Cleopatra, cùm ejus Monarchiæ initium fecit, tum Lagidarum, ſive Ptolomæorum regno poſt annos 295 finem attulit. Herodes verò confirma-

* Quæſt. 43.

P. J. 4683. Mund. 4023.

to ſibi a Cæſare regno, Hieroſoly-
mam reverſus, Mariamnam uxorem,
& ſocrum Alexandram interfecit.
Poſt biennium anno 12 a morte An-
tigoni, ex Aſſamonæa cognatione
nullum reliquit. Altero anno ejecto
Ananelo, Pontificatum Jehu Phabetis
filio contulit. Sed mox nova uxore
ducta Mariamna nomine, hujus patri
Simoni Pontificatum dedit. Studio de-
inde demerendi Cæſarem, violata re-
ligione, Hieroſolymis ei Regias ex-
truxit, urbes toto regno ejus in ho-
norem condidit, templa erexit, &
dedicavit. Anno regni 19. Hieroſo-
lymitanum templum inſtaurare ag-
P. J. greſſus, id magnificè reſtituit. Tertio
4698. abhinc anno in Nazareth oppido Ga-
Mun. 4038. lilææ parentibus Joachimo, & Anna
MARIA VIRGO eſt nata. Mathan
ſacerdos, & Maria Annæ parentes fue-
runt. Hæc ſorores habuit Mariam
matrem Salomes obſtetricis, & So-
bam matrem S. Eliſabethæ. Nupta
Joachimo de ſtirpe David poſt ſterili-
tatem 20 annorum Mariam Virgi-
nem, ejus conceptionem precibus pro-
merita, peperit. Triennio poſt abla-
ctatam, Deo ante pollicita quidquid
pareret, juxta votum ſuum Hieroſo-
lymam detulit, & Domino conſecra-
vit. In templo deinceps B. Virgo ad
ſponſalia uſque vitam traduxit, a ſa-
cerdotibus ſacris in Ædibus ad Sa-
muelis ſimilitudinem educata. Hæc
inter Herodes novis cædibus Regiam
cruen-

cruentavit. Alexandrum, & Aristobulum, quos ipsi interfecta Mariamna pepererat, Antipatri ex Doride uxore filii calumniis circumventos, peremit, anno Regni sui 34 a capta Hierosolyma. Anno sequenti ipsi veneno ab Antipatro apparato, demum detecta ejus perfidia, Mariamnam tanquam filii scelerum participem ejecit, & Simonem Pontificatu spoliavit, Matthia Theophili filio in ejus locum suffecto. Hoc ipso anno Maria Virgo annum agens 14. Josepho ex ejus oppido Nazareth, & familia David, a sacerdotibus desponsata est, atque ad custodiam Virginitatis, quam Deo voverat, tradita. Proximo anno Herodes Antipatrum Roma, quò interim abierat, reversum carceri mancipavit. Morbo deinde ipse correptus, eo evulgato, dejecta, & concisa Aquila aurea, tanquam insigni idololatriæ, quam supra majorem templi portam dedicaverat, quadraginta juvenes illius facinoris auctores, eorumque impulsores Magistros comprehensos vivos exussit: Matthiam quasi ab eo consilio non alienum abdicavit, & fratri uxoris suæ Joazaro Pontificatum dedit. * *Hic verò annus Herodis trigesimus sextus* longè omnium clarissimus Conceptione, & Nativitate Domini nostri Jesu Christi: * *Contracto B. Virgo cum Josepho matrimonio, nuptiisque celebratis, Christum Dominum concepit*. Quatuor mensibus, in-

* Quæst. 44.

* Quæst. 45.

inquit Evodius, apud Josephum Maria Virgo transactis, Nuncium Divini Verbi incarnandi accepit. Vigesima quinta die Martii id peractum. Post novem deinde menses vigesima quinta die Decembris, cùm, cogente Augusti edicto, Sanctissimi Conjuges Bethlehem adiissent, ut darent nomen, & tributum penderent, eodem in loco Beatissima Virgo Conceptum Christum Dominum peperit anno mundi 4052. * *Juliano* 44. Imperii Octaviani Augusti 42. Olimp. 144 anno 3. Urbis Cond. 751. Coss. Augusto XIII. & Silvano. Sed enim explicet se Divinus Infans, qui est arbiter temporis, tot hisce temporum involucris: ducat ipse tempora sua, non sequatur aliena: nec modò quæ futura sunt inde petant Principium, qui Alpha est, sed etiam hucusque præterita in eum referantur, tanquam finem, qui & Omega nuncupatur. Ipse videlicet, vaticinante Daniele, *mutat tempora, & ætates*; cui Vates profanus, etsi longè minus verax, non tamen minus verè succinere per hæc ipsa tempora non sine divino consilio visus est

* Quæst. 46.

cap. 2. 21.

Virg. Ecl. 4.

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Jam redit & Virgo: redeunt saturnia regna:
Jam nova progenies Cælo demittitur alto.

Nec verò mirum, si Ethnicus Chri-

sti Domini Natalitiis non modò tam convenientia, sed etiam tam propria cecinit, qui ex Sibylla Cumæa de Christo utique vaticinante, ea est mutuatus.

SE-

SEPTIMA MUNDI ÆTAS.

Sæculum I.

ANnus Mundi 4053, Julianus 45. est primus annus Christi, & septimæ, ac decrepitæ Mundi Ætatis Exordium. Dionysius Exiguus Vulgaris Christi Æræ auctor, ab hoc eodem anno Juliano, quo Divinum Verbum humanam carnem assumpsisse, & natum maluit, eandem Christi Domini Æram est exorsus, a die videlicet 25. Martii, & Divini Verbi Incarnatione. Verùm quoniam universa Ecclesia Latina, quæ Dionysium sequitur, paululum tantùm immutato ejus Æræ initio, a Calendis Januarii insequentis anni Juliani 46 tempora Christi Domini computat, nobis quoque ab ejusdem anni principio (in 4053. Mundi annum, & Julianum 45 Nativitate Christi Domini quasi dilata, ad quod tempus Julianam quoque Periodum initio accom-

P. J. 4714. Christi 1. modare maluimus) Christi annos deinceps numerandos duximus. Natus in Bethlehem CHRISTUS DO-

MI-

MINUS, prima die Januarii sequentis anni, octava ab Nativitate ejus eodem loco circumcisus, JESUS est vocatus. Paulo post sexta ejusdem mensis die * *decima tertia ab ejus ortu*, tres Magi * *ex Arabia*, præeunte Stella, Bethlehem advenientes, eundem Dominum adorarunt. Die 40, impleto tempore purgationis Mariæ, Hierosolymam Jesus delatus, quinque siclis secundum legem redemptus est, atque a B. Virgine lex adimpleta purgationis duorum turturum, aut pullorum columbarum oblatione. Secundùm hæc Nazareth Sancti Conjuges reversi, mox, imminente puero ab Herode vitæ periculo, in Ægyptum fugere ab Angelo jussi sunt. Herodes Judæorum regnum restituturum Dominum venisse ratus, quamprimùm tollere statuit. Ob id post irritam fraudem, Innocentium Infantium cædibus Bethlehem, & finitima loca replevit. Hoc autem ipso anno eodem Herode circa Paschalia festa post cædem Antipatri suo morbo anno regni 37 extincto, Augustus proximo anno filiis ejus ex Marthace, Archelao, Antipæ, qui & Herodes junior, & Philippo regnum distribuit. Archelaum dimidiæ regionis, Judææ, Samariæ, & Idumææ Ethnarcham constituit; Antipam Tetrarcham Galilææ, & Peræææ; Philippum Tetrarcham Iturææ Traconitidis. Postero anno Archelaus, ejecto Joazaro, ejus fra-

* Quæst. 47.
* Quæst. 48.

fratrem Eleazarum Pontificem constituit. Hoc eodem anno biennium circiter Sancti Conjuges in Ægypto morati, defuncto Herode, Angeli jussu in Judæam reversi, in Nazareth deinceps habitarunt; quod Jesu Nazareni nomen fecit. Pontificatu anno 4 Eleazaro Archelaus abdicato Jesum filium Siæ ejus in locum substituit, cui paulo post Joazarum rursus suffecit. Nono Christi anno Judæa cum Samaria, & Idumæa, Archelao ob ejus tyrannidem ab Augusto Viennam Allobrogum relegato, Syriæ attributa per Procuratores deinceps est administrata. Horum primus Coponius. Quo tempore Præses Syriæ Quirinius, Luc.2. Cyrinus, Joazaro rursum abdicato, Annano, sive Annæ, Sethi filio Pontificatum tradidit. Augusto anno Christi 14. Imperii 56. vita functo, Tiberius ejus privignus Imperium est adeptus. Insequente anno Valerius Gratus, quartus Judææ Procurator, ejecto Annano, Ismaelem Fabi filium, Pontificem constituit, quo postero anno amoto, Pontificatum in Eleazarum Annani Pontificis filium transtulit, & elapso anno in Simonem filium Camithi, cui post annum Josephum cognomento Caypham substituit, anno Christi 18. Fere decem & novem annos hic Pontificatum gessit. Anno Christi 26, Cayphæ nono, Gratus Pontium Pilatum successorem a Tiberio accepit. Imperante Tiberio

rio annum 15. Pilato verò 4. annum administrante Judæam * *Christus Dominus ingressus trigesimum ætatis annum*, sexta Januarii die in Jordane a Joanne Baptista baptizatus est. Ejus baptismum jejunium 40 dierum excepit, id trina diaboli tentatio, hanc initium prædicationis ejus. Hoc anno privatè hanc exorsus, postero publicè docere cępit, ac doctrinam suam eximiis miraculis comprobare. Primum omnium in nuptiis Canæ Galilææ, edidit, aqua in vinum conversa die sexta Januarii * *qua ipsa die superiori anno a Joanne Baptista füerat baptizatus, atque in ejus Nativitate a Magis adoratus*. Tres annos, & totidem menses ejus prædicatio tenuit. Postremum pridie Passionem suam * *quinto post susceptum baptismum, & ultimo* cum Discipulis suis celebrato secundum legem Paschate, * *azymo pane in corpus suum*, & vinum in sanguinem consecrato, Divinum Eucharistiæ Sacramentum instituit. * *Annum agens* 34 *Christus Dominus passus, & mortuus est*, mense Martio, die 25, sexta feria, Imperii Tiberii anno 19, Hebdomadum Danielis 487½, in medio Hebdomadis 70 juxta Prophetæ vaticinium. Resurgens tertia die, quadragesimo deinde ab Resurrectione sua* *præfecto Ecclesiæ* PETRO, in Cęlum ascendit. Post decem dies Apostoli, accepto Spiritu Sancto, Christum prædicare cœperunt. Hierosolymis magna hominum multitudine conversa, dum

* Quæst. 49.
* Quæst. 50.
* Quæst. 51.
* Quæst. 52.
* Quæst. 53. P. J. 4747. Chr. 34.
* Quæst. 54.

dum illi in Christi Domini Resurrectionem, & ejus in Cœlum ascensionem, & Divinitatem prædicandam incumbunt, Stephanus quoque unus e septem Diaconis, qui ad profana, ac sacra ministeria in cętu fidelium obeunda delecti fuerant, obsistentes Judæos strenuè convincit, mox primam in Ecclesiam Judaica perfidia persecutionem excitavit. Hac martyrio idem Stephanus sublatus, comprehensi fideles, & vinculis traditi: Domini discipuli præter Apostolos per finitimas regiones dispersi. In omnes Saulus in primis exarsit; qui Hierosolymis in Ecclesiam grassatus, dum deinde Damascum, amplissima accepta a Pontifice potestate quoscunque comprehendendi fideles, vinctosque Hierosolymam traducendi, tendit, ad illius portas Christi Domini voce, & aspectu territus, ac prostratus, totum se repente ejus cul-
* Quæst. 55. tui addixit. * *Id insequente anno, primo a Christi morte evenit*. Reddita post hæc Ecclesiæ pace, Euangelio annunciando Apostolis intentis, & Discipulis, Christiana religio brevi tempore per Palæstinam, Phęniciam, Syriam, aliasque finitimas regiones est propagata. Antiochiæ præsertim Ju-
P. J. 4750. Chr. 37. dęorum multi Christo nomen dederunt. Invisebat interim Petrus ubique novos
* Quæst. 56. fideles. * *Anno Christi* 37. *Antiochiam Orientis Metropolim perveniens, Antiochenam Ecclesiam instituit, & in sedem suam erexit*. Hoc eodem anno mortuo Ti-

Tiberio, Cajus Caligula, filius Germanici, Druso ejusdem Tiberii fratre nati, Imperium capessivit. Hic hoc ipso anno Agrippam, qui & Herodes, Aristobuli, quem pater Herodes senior occiderat, filium, carcere, in quem Tiberius, quia ipsi mortem, Cajo Imperium fuerat precatus, conjecerat, eductum pro ferrea catena aurea donavit, & Tetrarchiarum Philippi, & Lysaniæ pridem defunctorum regem constituit. Idem Pilatum ob varia crimina Viennam Allobrogum, sive Galliæ amandatum exilio multavit, qui post biennium necem sibi intulit. Postero anno, Christi 38, regiam dignitatem dum Herodes quoque Antipas, Agrippæ patruus, & Joannis Baptistæ peremptor, ac Christi illusor, impellente Herodiade ejusdem Agrippæ sorore, quæ Philippo viro suo relicto incestas cum ipso Herode Antipa nuptias inierat, a Cajo ambit, apud eundem Imperii proditionis ab Agrippa insimulatus, eidem Agrippæ ejus Tetrarchia concessa, Lugdunum Galliæ unà cum Herodiade est relegatus, ubi mœrore contabuit. Antiochiæ Petrus sede sibi erecta, cęterarum Ecclesiarum curam non omisit. Has dum invisit, sequenti anno Joppe divinam omnis generis animantium visionem habuit, qua de aperiendo Gentibus quoque Ecclesiæ ostio est admonitus. Quo ipso tempore Cæsaream divino jussu a Cornelio Centurione vocatus, eundem primum omnium

E Gen-

Gentilem baptizavit, qui deinde post Zachæum Cæsariensis fuit Episcopus. Anno Christi 41 Cajo extincto, Claudius ejus patruus Drusi filius, & Germanici patris Caii frater imperavit; qui ad imperium, adnitente præsertim Agrippa tum Romæ agente, evectus, ejusdem regnum nova Judææ, & Samariæ accessione adauxit. Hic verò in Palæstinam reversus, Judæorum gratiam ut sibi conciliaret, primò sui Hierosolymam adventu fideles secundò persequi est aggressus. Insequente anno captum Jacobum Apostolum, Joannis Apostoli, & Euangelistæ fratrem
* Quæst. 57. natu majorem decollavit. * *Hic primus Hispanis Euangelium non annunciavit.* Afflictam Hierosolymitanam Ecclesiam dum Petrus visitat, eundem quoque, magis illorum animos sibi devincturus Agrippa comprehendit. Quo divinitus eo periculo liberato, Apostolis præsertim tollendis illo intento, iidem mox ad Euangelii prædicationem
* Quæst. 58. sibi terrarum orbem partiti, * *collato prius inter se Apostolicæ fidei symbolo*, ut esset veluti militaris tessera eorum, qui Christo nomen dederant, præter Jacobum minorem, Hierosolymorum Ecclesiæ a Petro jampridem Episcopum præfectum, in destinatas sibi singuli provincias abeuntes Judæam deseruerunt. Hoc eodem anno Petrus Romam venit. * *Postero anno, Christi* 43., Evodio Antiochenæ Ecclesiæ dato Episcopo, *Romę Cathedram suam fixit*,

P. J. 4756. Chr. 43. * Quæst. 59.

xit, & Romanam Ecclesiam principem omnium totius orbis instituit. * *Hujus Ecclesię Episcopatum deinceps ad usque mortem gessit*. Fundata Petrus Romana Ecclesia memor demandatæ sibi curæ universi gregis hoc eodem anno per Marcum Euangelistam Alexandrinam Ecclesiam erexit; quam, quemadmodum, & Antiochenam Patriarchali dignitate donavit; & quoniam Alexandria in Romano orbe primas post Romam obtinebat, eodem honore eandem Ecclesiam post Romanam decoravit. His tribus Patriarchalibus sedibus deinde Constantinopolitana, & Hierosolymitana accesserunt. Insequente anno missis Petrus discipulis per Italiam, Gallias, Britannias, Hispanias, Africam, per universum fere occidentem Christianam fidem brevi tempore disseminavit, atque Ecclesias instituit. Quo ipso anno Agrippam divina ultio excepit. Cæsareæ cùm ludos pro salute Imperatoris celebraret, dum ad populum regio cultu insignis, concionatur, & acclamante sibi, tanquam Deo, populo superbit, protinus ab Angelo in ipso tribunali est percussus; unde tabescente, & vermibus scatente corpore, post quinque dies absumptus est. Illo mortuo, tametsi filium reliquisset Agrippam juniorem nuncupatum, Judæa rursus Syriæ est contributa, eamque deinceps Præsides perpetuo administrarunt. Claudius Herodi, Agrippæ

* Quæst. 60.

fratri, Chalcidis regi tantùm in templum potestatem fecit; quo quarto abhinc anno defuncto, ipsi Agrippæ juniori ejus nepoti id regnum concessit. Hic pariter Herodes vocatus est. Apud hunc, & Festum Judææ Præsidem Paulus suam causam Cæsareæ deinde egit. Turbas adversus Apostolos Christi fidem prædicantes nulla gens frequentiùs, quàm Judæa concitavit. His Claudius, Romæ contra Petrum ab ipsis Judæis excitatis compulsus, omnes Judæos Urbe depulit anno Christi 49. Eodem Imperatoris edicto Roma Petrus abire coactus est. Hierosolymam reversus, exorta per hæc tempora Antiochiæ de Circumcisione controversia, Hierosolymis, * *hoc ipso anno* habita Synodo communi Apostolorum Jacobi, & Joannis, Pauli, & Barnabæ, qui jamdudum ad sacrum Apostolatus ordinem fuerant assumpti, consensu, definivit, fideles immunes esse ab jugo Circumcisionis, & Mosaicarum cæremoniarum: tantùm abstinerent ab immolatis simulacrorum, a sanguine, a suffocatis animalibus, & a fornicatione. In eadem Synodo Gentium cura præcipuè Paulo, & Barnabæ demandata, Judæorum præsertim curam unà cum Jacobo, & Joanne sibi suscepit. Secundùm hæc hoc eodem anno dum Antiochiæ versaretur, à Paulo est argutus, quòd cùm primùm cum Gentilibus cibum sumeret, postea quibusdam Hierosolymis, a Jacobo ad-

* Quæst. 61.

ve-

venientibus, ne iis ex circumcisione Christianis scandalo foret, sese segregasset. * *Qua in re nihilominus Petrus haud deliquit*. Anno abhinc tertio Claudio sublato, a Nerone ejus privigno, & successore, facta Judæis in Urbem redeundi potestate, Petrus quoque Romam repetiit. Visitata Romana Ecclesia Urbe deinde digressus, ipsum Occidentem peragrans, quò ante per discipulos primos fidei radios præmiserat, eundem præsens ipse uberiore Euangelii luce perfudit. Hæc inter Paulus Hierosolymis a Judæis captus, ad Felicem Judææ Præsidem, Cæsaream est adductus, ubi deinde Cæsarem appellans, a Festo Felicis successore, Romam missus est, anno Christi 57., Neronis tertio. Ab eo coram auditus, post biennium liber dimissus; * *post aditam Hispaniam* rursus Orientem petiit. Incensa Nero anno Christi 64 Roma, quo incendio decem Regiones Urbis, quæ in 14 erat distincta, conflagrarunt, Trojæ eo interim e Mæcenatis turre veterem conflagrationem ad citharam decantante, innocentibus Christianis, quos oderat, per summam calumniam afficto scelere, in eos dirissimè sæviit. Hæc PRIMA Gentilium in Christianos PERSECUTIO. Quinq; circiter annos per universum Imperium, & præsertim Romæ, crudelissimè grassata est. Romanæ Ecclesiæ ut succurrerent altero abhinc annò Apostoli Petrus, & Paulus e diversis orbis

* Quæst. 61.
* Quæst. 62.

partibus Romam se iterum contulerunt. Hanc verò dum pene extinctam instaurant, Simone Mago, qui jampridem a Philippo Diacono Samariæ baptismum susceperat, & deinde a Petro, qui occasione confirmandi sacra manuum impositione Samaritas ad fidem a Philippo conversos, Hierosolymis unà cum Joanne eò accesserat, cùm miraculorum virtutem, & præsertim mirificam Divini Spiritus per manuum impositionem conferendi potestatem, quam in ipsis Apostolis conspiciebat, ambiens, Cœleste Donum pecunia mercari vellet, acerbè reprehensus, primus evadens Hæresiarcha, & Apostata, pristinis resumptis præstigiis, novaque auctis impietate, qua se Dei filium esse dicebat, Ecclesiam dilaceravit, ejusdem Apostolorum Principis oratione, dum a Dæmonibus sublatus, quasi in Cęlum ad Patrem ascensurus, per aerem volaret, in terram dejecto, & extincto, ambo comprehensi, & in
* Quæst. Mamertinum carcerem conjecti, * *iidem*
64. * Quæst. sequente anno, * *Neronis* 13., sedis Pe-
65. tri Romæ 25. die 29. Junii gloriosum
Martyrium subjerunt. Quatuordecim
* Quæst. Paulus epistolas scripsit. * *Quæ ab eo ad*
66. *Laodicenses data fertur, est apocripha.*
P. J. 4780. Eodem anno * LINUS *Thuscus Volater-*
Chr. 67. *ranus in Romanam sedem Petro suffectus* *
* Quæst. 67. *Principatum Universalis Ecclesiæ Divino*
* Quæst. *jure obtinuit*. Insequente anno, Christi
68. 68., Nerone de stirpe Cæsarum postremo Imperatore extincto, Ecclesiæ

quo-

quoque persecutio cum eo sublata. Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, & hujus filius Titus, qui post Neronem successivè imperarunt, Ecclesiam non divexarunt. Ejus interim pacem hæretici perturbarunt, Menander Simonis Magi discipulus, Cerinthus, Ebion, & Nicolaitæ. Proximo anno, Christi 69 Vespasianus ad Imperium evectus, bello, quod adversus rebelles Judæos ante Neronis jussu susceptum per hæc tempora gerebat, Titum filium præfecit; qui postero anno Hierosolymam Paschali tempore, quo innumera Judæorum multitudo eò confluxerat, ducto juxta Christi Domini prædictionem circum civitatem muro, ne quis elabi posset, obsedit, & post tres menses, & dimidium cepit; quam unà cum Templo, quod injecto contra ejus edictum a quodam milite igne, conflagravit, incensam evertit, & solo æquavit. Una hac obsidione, quod alibi prorsus est inauditum, Judæorum undecies centena millia periere; septem verò, & nonaginta millia captiva sunt abducta. Linus anno Christi 78, sedis 12. martyrio coronatus est. Perfruente Ecclesia pace, vel Magistratuum nequitia, vel furore populi martyrio quosdam coronari sæpe contigit. CLETUS Romanus Linum excepit. Duos, & viginti annos pax post Neronem Ecclesiæ concessa perduravit. Hanc deinde Domitianus sustulit, qui veneno extincto Tito fratre, Imperium invasit,

ALTERAM hic a Neroniana adversus Christianos PERSECUTIONEM excitavit, anno Christi 90. Sex circiter annos hæc tenuit. Ejus initio Joannes Euangelista Ephesoubi degens Asianas Ecclesias curabat, ab Asiæ Proconsule Romam missus, in ferventis olei dolium est immissus; qui nihil passus in Pathmos Insulam, ex Sporadibus unam, relegatus est, in qua divinam, quam vidit, Apocalypsim scripsit. Insequente anno, Christi 91 martyrium passus est Cletus, Põtificatus annũ agens 13. CLEMENS, Romanus ei successit. Hunc Petrus ante suum martyrium, quemadmodum tradunt Tertullianus, Epiphanius, Ruffinus, ordinatum Episcopum sibi successorem designaverat. At Clemens, ne id foret perniciosi deinceps exempli, Lino, & Cleto locum cessit; quos communibus suffragiis, eodem curante, Clerus elegit. Idem deinde Cleto ab eodem est suffectus. Hujus nomine multa circumlata scripta, quæ non omnibus probata, Constitutionum Apostolorum collectio, & quatuor & octoginta eorundem Canonum * *qui illis æquè sunt suppositi*, ac octo Constitutionum libri, quinq; Decretales Epistolæ, & alia. Non solùm verò hujus Pontificis decretales Epistolę sunt Eruditis pseudepigraphę, sed & sequentium, nonnullis exceptis a SS. Patribus, vel ab antiquis historiæ Ecclesiasticæ scriptoribus relatis, ad Siricium usque; quas Isidorus mercator fabricatus in sua Canonum colle-ctione

* Quæst. 69.

ctione edidit circa noni sæculi initium. Sublato Domitiano, Nerva Imperium adeptus, rescissis illius actis, Ecclesiæ pacem restituit, anno Christi 96. Quo tempore Joannes Euangelista Ephesum reversus, ab Asiæ Episcopis rogatus suum Euangelium conscripsit, ad asserendam contra hæreticos Ebionem, & Cerinthum Christi Divinitatem. Sed brevis hæc Ecclesiæ pax. Nerva altero Imperii anno mortuo Trajanus ejus successor TERTIAM in Ecclesiam PERSECUTIONEM movit, anno Christi 98. Decem & novem annos hæc perduravit. Hoc eodem anno Clemens Chersonam relegatus, eodem loco, universa fere illa regione Euangelica prędicatione, & præclarissimi ibi editi miraculi virtute ad Christi Fidem conversa, Trajani jussu in mare demersus martyrio functus est, anno Christi 100. ejus sedis 10; quo eodem anno * *Joannes Euangelista Ephesi defunctus in Cœlum* abiit trium & nonaginta annorum. * Quæst. 70.

ALTERUM Christi Seculum ANACLETUS Græcus Atheniensis in Clementis locum substitutus, primo sui Pontificatus anno est auspicatus, qui decimo sedis anno martyr in Cęlū migravit. Post Anacletum EVARISTUS pariter Gręcus Ecclesię pręfuit. Hoc Pontifice Judęi rursum variis locis eodem tempore rebellantes, per Palęstinam, Ægyptum, & Cyrenaicam regionem vix credibilem Romanorum simul, & Græcorum multitudinem ceciderunt. Apud unam Cy- Seculum II. P. J. 4814. Christ. 101.

renem ducenta & amplius millia hominum cæsa. Per Insulam Cyprum Judæorum pars effusa, ducenta & quadraginta millia trucidavit. Nec cęde eorum rabies contenta. Illorum carnibus vescebantur, amiciebantur pellibus, & cruentis intestinis pro cingulis utebantur. Qui vivi capti fuerunt, partim medii a pube ad verticem serris dissecti, alii bestiis dilacerandi objecti, coacti alii inter sese digladiari. Hos Trajanus per Duces compescuit, ingentibus ubique cædibus profligatos. Qui deinde, referente sibi Tiberio Palæstinæ Pręside, imparem se esse occidendis Christianis, ultro supplicia appetentibus, PERSECUTIONEM cessare jussit, anno Christi 116. Anno, qui est insecutus Trajano defuncto, * *quem deinde precibus Magni Gregorii fuisse ab inferis liberatum, commentum est*, Ælius Hadrianus, qui post ipsum imperavit, Christianorũ pacẽ non tulit. Hic postero anno Christi 118. QUARTAM adversus Ecclesiã PERSECUTIONEM accẽdit. Viginti ferme annos hęc sęviit. Hac Euaristus sequenti anno, ejus sedis 10. sublatus Pontificatum ALEXANDRO Romano reliquit; quem eadem persecutione anno 11 Martyrem occumbentem SIXTUS Romanus excepit. Per hæc tempora Hierosolymam Hadrianus restitutam Æliam ad sui nominis celebritatem vocavit. Sed deducta in eam colonia, & fano, ubi Templum steterat, in honorem Jovis erecto, Judæi,

* Quæst. 71.

dæi, duce Barchocheba, priſtinam rebellionem inſtaurarunt. Quibus Hadrianus anno Chriſti 135 demum prorſus perdomitis eorum quingentis & octoginta millibus variis præliis cæſis, præter infinitam multitudinem fame, morbo, atque igne abſumptam, vetuit, deinceps illos Æliam, ſive Hieroſolymam ingredi; quin vel procul ex edito aliquo loco ſpectare, aut in ejus per circuitum territorium pedem inferre, unico quotannis excepto die, quo quondam Romani Hieroſolymam ceperant, & diruerant; quo die ut civitatis ruinam, & Templi flerent, ejus in agrum convenire ſunt permiſſi; quod etiam inquit Hieronymus, pretio a militibus redimere conſueverunt. In eorundem quoque opprobrium ſupra portam, quæ Bethlehem reſpicit, porcum in marmore inſculptum collocavit. Sed & in Chriſtianorum odium Sacra eorum loca profanavit, collocata in loco Paſſionis Domini ſtatua Veneris, Jovis ſimulacro in loco Reſurrectionis, & in Bethlehem fano Adonidis erecto, quæ profanationes aduſque Magni Conſtantini Imperium perdurarunt. Anno Chriſti 138. mortuo Hadriano Eccleſia reſpiravit. Antoninus cognomine Pius poſt Hadrianum Imperio potitus, nullo edicto Chriſtianos eſt inſecutus. Per hanc pacem lætiùs refloreſcens Chriſtiana ſeges infeſtam Ethnicorum Magiſtratuum invidiam habuit. Hac, eodem imperante,

te, præcipui ejus fatores fuccifi, Sixtus anno Christi 140, fedis ejus 10: TELESPHORUS deinde, Græcus, Pontificatus anno 12. mox HYGINUS Græcus, Athenienfis, anno
P. J. 4875. fedis 4. Huic PIUS, Aquilejenfis, fuc-
An. Chr. 162. ceffit. Interim verò Antonino defuncto anno Christi 161. M. Aurelius, qui unà cū L. Vero Imperiū cepit infequente anno, QUINTAM PERSECUTIONEM excitavit. Septemdecim fermè annos hæc Ecclefiam afflixit. Anno Christi 165. PIUS decimum annum Ecclefiam regens, Martyr in Cœlum evolavit. ANICETUS Syrus ejus fucceffor anno 173. fedis ejus 8. quem SOTER Fundanus excepit. Anno fequenti, Christi 174. M. Aurelius Quadis, Marcomannis, aliifque barbaris gentibus, a quibus numero 977. millibus, ejus exercitus interclufus fiti conficiebatur, precibus legionis Melitenæ, quæ Christiana erat, fuperatis, copiofo divinitus fupra Romanos effufo imbre, quo funt recreati, hoftibus verò eadem pluvia, quæ quafi ignis, & fervens oleum cum crebris fulminibus fupra ipfos cadebat, exuftis, aut in fugam actis, perfecutionem edicto prohibuit, comburi infuper juffis, Christianos deinceps folo Christianæ Religionis nomine accufantibus. Hæc nihilominus, haud multo poft acerbior recruduit. Infontes Christianos vel confictis a Gentilibus criminibus infimulatos, vel hæreticorum, quorum

rum iſtud ſæculum omnium feraciſſimum extitit, in quibus Baſilides, Saturninus, Carpocras, Valentinus, Cerdo, Marcion, Montanus, Tatianus nefandis libidinibus, ac flagitiis infamatos, atrocibus ſuppliciis torqueri, atque affici, ſæpe contigit. Soter anno Chriſti 177. Pontificatus 4, maryrium conſummavit, cui ſucceſſit ELEUTHERUS Græcus, Nicopolitanus. Hujus Pontificatus anno 4. Chriſti 180. M. Aurelio voluntaria inedia extincto, optata pax Eccleſiæ affulſit, quæ annos decem & octo perduravit. Hanc Commodus, qui M. Aurelio Parenti ſucceſſit, Eccleſiæ dedit, ac deinde Pertinax Did. Julianus, & Septimius Severus, qui Imperii initio, in debellandis æmulis Peſcennio Nigro, & Clod. Albino occupatus, Chriſtianos bene habuit. Eleutherus nihilominus anno Chriſti 192. Imperii Commodi poſtremo, poſt annos 15. Pontificatus martyrio coronatus eſt; cui ſuffectus VICTOR, Africanus. Excitata rurſus, quæ primùm Pio Pontifice fuerat exorta, controverſia de tempore celebrandi Paſchatis, Victor Romæ, in Paleſtina, in Ponto, in Græcia, in Galliis aliiſque regionibus celebratis ſynodis, juxta Apoſtolicam traditionem à Pio quoque antea decreto confirmatam, communi omnium conſenſu Paſcha Dominica die, proximè ſequente Lunam decimam quartam primi menſis,

sis, seu Martii, celebrandum statuit, anno Christi 196. cui deinde decreto Asiæ Episcopos, ac finitimos parere detrectantes, & pertinaciter ex prætenta Joannis Euangelistæ traditione Luna decima quarta, in quamcumque hebdomadæ diem incideret celebran-
*Quæst.72. dum Pascha contendentes. * *idem Victor*
Sæculum *ab Ecclesiæ communione submovit*.
III.
P. I. Tertii Sæculi exordium Victor, deci-
4914. mum sui Pontificatus annum auspica-
Ann. Chr. tus, Martyrio consecravit. Severus ex-
201. tinctis cõpetitoribus, imperio sibi confirmato SEXTAM PERSECUTIONEM adversus Ecclesiam suscitavit, elapsi sæculi anno 199. duodecim annos ad usque ejus interitum duravit, tanta Christianorum strage, ut putarent omnes Antichristi tempus advenisse, & Mundi occasum brevi affuturum. Victor ea sublatus successorem habuit ZEPHYRINUM, Romanum. Severo Imperatore, Symmachus ex Samarita, sive potius ex Christiano, Ebionita, suam edidit Scripturæ Sacræ interpretationem. Hæc quarta Sacri Textus ex Hebræo in Græcum sermonem editio. Prima fuit septuaginta interpretum, Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege: alteram edidit Aquila Ponticus, ex Christiano Judæus, imperante Adriano: tertiam Theodotion, ex hæretico Judæus, Imperatore Commodo. Anno Christi 211. extincto Severo, imperantibus deinde Antonino Caracalla ejus filio, Macrino, Antoni-

nino Heliogabalo, & Alexandro Severo, tranquilla pace per annos 24. Ecclesia est potita. Postquam Zephyrinus decem, & octo annos Ecclesiam administrasset, vita functus est, anno Christi 219., * *quem Montanismi per summam calumniam Novatorum nonnulli insimulant*. Huic CALLISTUS successit, Romanus, Regnante Alexandro, quem erga Christianos bene affectum, ipsum etiam Christum unà cum falsis numinibus in suo larario solitum adorare tradit Lampridius, eodem inscio, Domitii Ulpiani Jurisconsulti, quem Præfecti prætorio dignitate decoraverat, cuique Imperii curam commiserat, nequitia nonnihil Ecclesiæ pax, Romæ præsertim, est perturbata. Ejusdem jussu Callistus post annos 5. sedis martyrio coronatus, ejus deinde successor URBANUS, Romanus anno Pontificatus 7.; quem PONTIANUS, Romanus excepit. Verùm Alexandro sublato à Maximino, qui Imperium arripuit, mota est SEPTIMA PERSECUTIO, anno Christi 235. Trium hæc annorum fuit. Soli ea Ecclesiarum Præsides morti addicti. Ejus exordio Pontianus martyr occubuit sedis anno 5. ANTHERUS, Græcus, ei suffectus, insequente anno 236. cùm vix mensem sedisset passus est. FABIANUS, Romanus post Antherum sedit. Anno Christi 238. extincto Maximino, & quatuor aliis Imperatoribus, quos Senatus binos succes-

* Quæst. 71.

P. J. 4948. Ann. Chr. 235.

fivè adversus Maximinum creaverat, nimirum Gordianis patre, & filio, ac Maximo Pupieno, & Clodio Balbino, per annos duodecim pax Ecclesiæ reddita fuit, regnante Gordiano puero, senioris nepote, & deinde
* Quæst 74. Philippis, patre, & filio * *qui primi inter Romanos Imperatores christianā fidē sunt amplexati*. Occupato Decius, per-
P. J. 4963. emptis Philippis, Imperio OCTAVAM
An. Chr. PERSECUTIONEM indixit, anno
250 Christi 250. Hæc insequente anno Fabianum post annos sedis 15. martyrem Cęlo dedit. Sedes deinde uno amplius anno, furente persecutione, vacavit. Hoc eodem anno 251. extincto Decio, Gallus deinde, & Volusianus filius Ecclesiæ pacem concesserunt. Postero anno Fabiano CORNELIUS Romanus, successor datus est. Adversus Cornelium Novatianus, Romanus presbyter, pri-
Schisma mum in Romana Ecclesia Schisma con-
I. flavit. Ei auctor Novatus, Africanus Episcopus, qui Romam advenerat, cùm Carthagine Felicissimi presbyteri schisma omnium in Dei Ecclesia primum, in Cyprianum ejus Urbis Episcopum, & Africæ primatem, concitasset. Sed vix annum Ecclesia pace potita. Romanus Senatus Christianis infensissimus ad instaurandam persecutionem Perpennam novum Augustum dedit, anno 253. quo mox peste sublato, Gallus deinde, & Volusianus restitutam persecutionem sunt prosequuti, & deinde Æmilianus. Cornelio altero sedis an-

anno martyrio consummato LUCIUS, Romanus substitutus est. Æmiliano brevi extincto, rursus Valeriano, & Galieno Filio, Imperatoribus, pax aliqua Ecclesiæ affulsit, anno 255, quo Lucius martyr altero ejus Pontificatus STEPHANO, Romano sedem reliquit. Hoc tempore præsertim agitata de validitate Hæreticorum Baptismatis controversia; quod Stephanus iterari prohibens, Cyprianum infestum passus est * *Eumdem tamen unà cum Firmiliano Cæsareæ Cappadociæ Episcopo aliisque eis consentientibus non excommunicavit*. Hunc errorem Tertullianus Carthaginensis adhuc in Catholica Ecclesia existens primus docuit; qui error deinde per Africam, & Orientem propagatus diù Ecclesiam perturbavit. Acerrimus primùm Tertullianus Ortodoxæ fidei defensor, miserando deinde lapsu in Cataphrygum, seu Montani hæresim deflexit. Hoc eodem sæculo Hæretici extiterunt Origenes, Novatianus Cornelii sedis invasor, Sabellius, Chiliastæ, sive Millenarii, Paulus Samosatenus, & Manichæi. Resumpta verò rursus anno 257 Valerianus, & Galienus persecutione dirissimè sævierunt. Insequente anno Stephano, quarto ejus Pontificatus, martyrio coronato, post eum SIXTUS II. Græcus Atheniensis, vix annum sedit. Eumdem Martyrem DIONYSIUS, Græcus excepit, anno 260. Persecutio proximo sedata est. Hanc

* Quæst. 73.

Ga-

Galienus, capto a Sapore Persarum Rege, Valeriano patre, quem barbarus cavea inclusit, ac deinde quoties equum ascenderet, ejus ad humum incurvati cervicem calcans, eo, veluti suppedaneo subsellio, est usus, grassantibus per Imperium triginta Tyrannis, promulgatis ubique edictis remisit, sacris etiam locis ipsis Christianis jussis restitui. Imperium Orientis hoc tempore Odenatus Rex Palmyrenorum obtinuit Galieni concessione, qui eum collegam sibi adscivit, ut illud adversus Persas tueretur. Ejus deinde uxorem Zenobiam id sibi vendicantem Aurelianus vicit, & captivam in triumphum duxit; quæ Romæ deinceps unà cum filiis egit, in Tiburtino agro accepta a Senatu possessione, Christianam Orthodoxam, relicto Judaismo, & ejuratis Pauli Samosateni erroribus, amplexa, ut creditur, Religionem. Anno 268. extincto Galieno, insequente Claudius persecutionem redintegravit. Hæc verò postero anno 270. unà cum eodem, & Quintillo Fratre sublata, Pace Ecclesia potiente, Dionysio, quo Pontifice Pauli Samosateni hæresis duobus in Conciliis Antiochenis est confossa sequenti anno, sedis ejus 12. vita functo,
P. J. FELIX, Romanus regnavit. Post
4985. Quintillum Aurelianus Imperium na-
An Chr. 273 ctus NONAM * PERSECUTIONEM
* Qu æst. 76. est exorsus anno 272. In ea Felix an. 274. sedis ejus 3. martyrium passus, cui EU-

TY-

TYCHIANUS Thuſcus, Lunenſis, ſuffectus. Initio ſequentis anni Aureliano, quem Romanæ Civitatis muros ad 50. milliaria amplificaſſe Vopiſcus ſcribit, ſublato, annos ſeptem a perſecutionibus Eccleſia quievit, rerum potientibus Tacito, Floriano ejus Fratre, Probo, & Caro; quo regnante Numerianus ejus Filius, quem cum Fratre Carino Cæſarem dixerat, Chriſtianis infeſtus, nonnullos martyres fecit. Ea perſecutione Eutychiano anno 283. ſedis ejus 9, Martyrio affecto, CAJUS Dalmata Salonenſis, Diocletiani Imperatoris ex Fratre Maximino nepos, ejus in locum eſt ſubſtitutus. Inſequente anno, Chriſti 284. extinctis Caro, & Numeriano, Diocletianus ad Imperium evectus principio brevem Eccleſiæ pacem dedit. Ab hoc anno ejus Epocha initium ducit. Hæc Martyrum Æra etiam dicta à Chriſtianis Ægypti etiamnum uſurpata. Poſtero anno cæſo Diocletianus Carino Maximianum Herculeum Cæſarem creavit. Eundem ſequenti 286 Auguſtum nuncupatum, Imperii collegam ſibi adſcivit, & Occidentem adminiſtrandum tradidit. Anno deinde 292, Tyrannis & Perſis Imperium infeſtantibus, novos Cæſares dixit, Conſtantium Chlorum, Magni Conſtantini Patrem, Claudii Junioris Imperatoris ex Claudia filia Criſpi, ejuſdem Claudii fratris, nepotem, & Galerium Maximianum, Armentarium di-

P. J. 4999. Christi 286. dictum, quod armentorum Pastor fuisset. DECIMA Diocletiani PERSECUTIO anno Christi 286 incepit. Amplius 30 annos nonnullis aliquando subsistens intervallis grassata est, in Oriente præsertim, post Diocletianum, & Maximianum Herculeum a Galerio Maximiano, Maxentio, Maximino, & Licinio propagata. Ejus exordium Romæ Sebastiani Ducis fortitudo illustravit. Eadem Cajum Pontificem anno 296. sedis ejus 13. martyrio abstulit. Hunc excepit MARCELLINUS, Romanus. Insequente anno Thebæorum Legio unà cum ejus Duce Mauritio illustre fidei dedit testimonium in Gallia apud Agaunum oppidum, quod S. Mauritii deinde est vocatum.

Sæculum IV. P. J. 4916. An. Chr. 303 Insigne ad memoriam quarti sæculi initium ipsa jamdudum cępta Persecutio reddidit. Hæc dirissima tertio ejus anno feralibus a Diocletiano, & Maximiano Herculeo promulgatis edictis est concitata. Solo Ecclesiæ ubique æquatæ; quod Theodoretus una die, nempe Passionis Domini contigisse, affirmat, Eusebius diebus ipsis Paschalibus. Scripturæ Sacræ conquisitę, & igne consumptæ; Christiani comprehensi, & morti addicti; quin impunè occidi permissi. Innumeri toto Romano Imperio martyres extitere. In hac persecutione unam Ægyptum 144 millia Cęlo dedisse tradunt, & septingenta millia ibidem exilium esse pas-

passa. Marcellinus sequenti anno 304. sedis ejus 8. martyrium obiit. * *Hic metu mortis thus idolis non adolevit, nec ob id in Sinuessana Synodo damnatus*. Cujus lapsus, etsi verus esset, * *Romanæ tamen Ecclesiæ integritati non obfuit*. Amplius sex menses post Marcellinum sedes vacavit. MARCELLUS Romanus deinde sedit. Hoc eodem anno Diocletianus, & Maximianus Herculeus, ambo Imperio cesserunt, uno & eodem die deposita purpura, Diocletianus Nicomediæ in Bithynia, Maximianus Mediolani, ille tædio, & desperatione, quòd Christianam Religionem extirpare non posset, Maximianus ejusdem suasione, & authoritate. Deinde Constantius Chlorus, & Galerius Maximianus Imperium sibi partiti, imperarunt. Italia, Gallia, Britannia, Hispania, & Africa Constantio obtigerunt; Galerio Illyricum, Asia, & Oriens. Sed mox Constantius Hispania, Gallia, & Britannia contentus, Italiam & Africam, Galerio reliquit, qui duos Cæsares fecit, Severum, quem Italiæ præfecit, & Galerium Maximinum ex Sorore nepotem, quem Orienti præposuit, dum ipse in Illyrico resedit. Propenso erga Christianos Constantio, mox in ejus Imperio tranquillam pacem Ecclesia adepta est. Anno Christi 306, illo mortuo, Magnus Constantinus, qui in Britannias e custodia, qua eum Galerius detinebat, ad Patrem fugerat, ejus su-

* Quæst. 77.

* Quæst. 78.

ſuſcepit Imperium. Hujus verò imagine Romam delata Maxentius Maximiani Herculei filius a Prætorianis militibus ſubitò Imperator eſt acclamatus. Inſequente anno 307. contra Hunc Galerius Maximianus Severum Cæſarem miſit, qui deſtitutus a ſuis Ravennam fugit. Galerius deinde adverſus Maxentium, generum ſuum adveniens, fœdè & ipſe ab ſuis deſertus, Illyricum repetiit; ubi Licinium Cæſarem creavit, ac mox Auguſtum. Rebus in Italia ita perturbatis, Herculeus Imperium, quo ſe invitus abdicaverat, rurſus affectavit. Ob id ex Lucania Romam venit, & ſcriptis literis, Diocletianum tum Carnunti in Pannonia degentem, ut idem faceret, adhortatus eſt; qui ejus ſpreta inconſtantia, reſpondit, ſe quietem, & voluptatem, qua in conſerendis, & colendis Salonæ hortis fruebatur, longè Imperii Romani gloriæ anteferre. Herculeus primùm, quaſi honorarius pacis inter filium Maxentium, & Severum conciliandæ arbiter, data huic jurisjurandi fide Ravenna eumdem eduxit, eductumque perfidiosè Maxentianis necandum tradidit; ac deinde illos, ut ſe duce militent, adversus Maxentium ſolicitat. Sed perfidus ſenex ab illis deſpectus, vitæ ſuæ metuens ad Conſtantinum in Galliam fugit, cui Fauſtam filiam nuptum dedit. Demum dum Conſtantino genero inſidias moliretur, nefariis ejus conſiliis per Fau-

ſtam,

ſtam, cui illa aperuerat, detectis, Marſiliam fugiens, ibi a Conſtantino obſeſſus ſpontaneo laqueo vitam abrupit. Interim Maxentius, Severo unà cum Alexandro tyranno in Africa extincto, Imperio ſibi in Italia, ipſaque Africa firmato, depoſita Chriſtianæ religionis ementitæ larva, qua hactenus Chriſtianis, Romanis, & Afris erga Conſtantinum propenſis illuſerat, intermiſſam perſecutionem inſtauravit. Anno Chriſti 309, Marcello poſt 4. annos ſedis martyrio coronato, EUSEBIUS, Græcus ei ſucceſſit; hunc deinde anno ſedis 3 defunctum MELCHIADES, Africanus excepit, anno Chriſti 311. quo Galerio Maximiano extincto, Licinius, & Galerius Maximinus in Illyrico, Aſia, & Oriente imperarunt. Annus Chriſti 312. lætiſſimus Eccleſiæ illuxit, optatiſſima ei ubique per Occidentem a Magno Conſtantino, Maxentio turpiſſimo æquè, ac crudeliſſimo tyranno ſublato, parta pace, & libertate. Hoc anno Conſtantinus adverſus Maxentium bellum ſuſcepit, ut Romanam Civitatem ejus tyrannide liberaret, ſeu potius Divino Numine impellente, quod Cœleſte oſtentum declaravit. Vidit quippe, dum Alpibus appropinquaret, paulo poſt meridiem Crucem ex luce formatam, Soli ſuperpoſitam cum hujuſmodi inſcriptione ἘΝ ΤΟΥ'ΤΩ ΝΙ'ΚΑ, IN HOC VINCE: Quamobrem

P. J. 5025. An. Chr. 312

ve-

vexillum instar Crucis, quod Labarum vocatum est, præferri voluit exercitui, Christo id ipsi præcipiente, quem sequenti nocte in somnis vidit. Expugnato Segusio, Alpes transgressus tres Maxentii exercitus, collatis signis, fudit, apud Taurinos, Brixiam, & Veronam. Quarta demum acie ad ipsos Romæ muros cæsos Maxentianos vertit in fugam, in qua Maxentius ipse, dum Tiberim trajicit, ligneo ponte sub equitum multitudine fatiscente, amni demersus, periit. Profligato Constantinus Tyranno, ingressus Romam, sublimem hastam in modum Crucis, sub manu statuæ suæ in celeberrimo Urbis loco poni jussit cum hac inscriptione. *Hoc salutari signo, quod veræ virtutis argumentum est, vestram Urbem tyrannicæ dominationis jugo liberatam servavi. Senatui, Populoque Romano in libertatem asserto, pristinum decus nobilitatis, splendoremque restitui*. Deinde, Lateranis ædibus Melchiadi Pontifici concessis, sanctissimas leges tulit, quibus Christianam religionem confirmavit. Insequente anno collocata Licinio Constantia sorore, & amborum nomine Galerio Maximino scriptis literis, persecutionem per universum Romanum Imperium sustulit. Melchiade hoc eodem anno, ejus sedis 3. defuncto, SILVESTER, Romanus, Pontificatum cepit. Proximo anno, 314. Galerio Maximino post ingentem a Lici-

cinio, cui bellum intulerat, acceptam cladem extincto, idem Licinius ejus Imperium adiit; a quo mox restituta persecutione, Constantinus eundem semel & iterum victum Illyrici, omniumque præter Thraciam in Europa provinciarum amissione multavit, anno 317. Quo sequenti anno rursum rupta pace iterum victo, & Thessalonicam relegato, solus deinceps immensa Christianorum toto Romano Imperio lætitia, rerum est potitus. Verum anno 321, Aruspicina ab eo paulo ante vetita, gentilibus iterum permissa; paululum rursus turbata est Ecclesia. Quo malo novo deinde scelere cumulato, innocente filio Crispo Cæsare a Noverca Fausta, attentati in se adulterii insimulato, indicta causa, neci tradito, postquam ejus comperta innocentia Faustam ardenti balneo inclusam sustulisset, Divinum Numen suorum scelerum est passus ultorem, lepra percussus, anno Christi 324. Qui paulo post dum per balneum ex infantium sanguine paratum, quod Aruspices suadebant, sanitatem recipere abnuit, ab Apostolis Petro & Paulo in somnis jussus Silvestrum evocare, ab eoque pristinam salutem accipere, eodem accito * *per baptismum corporis simul, & animi lepra sanatus est*. Sacro Constantinus lavacro renatus, mox publica ad Senatum, Populumque Romanum habita concione, universos ad Christianam religionem amplectendam

* Quæst. 79.

adhortatus est, quod ipsum per universum Imperium publico edicto præstitit. Deinde pœnas adversus eos, qui Christum Blasphemarent, vel Christianis injurias inferrent, statuit. Ecclesias publicis sumptibus toto Imperio extrui jussit. Romæ ipse plures erexit; in quibus Basilica Lateranensis, Episcopalis deinde Romani Pontificis sedes, quæ & Salvatoris, cui dicata fuit, appellata, & ab ipso Constantino Constantiniana; Basilica S. Petri, Basilica S. Pauli, quas & amplissimis reditibus ditavit. Præsides deinde per provincias, aut præfectos Prætorio non constituit, nisi Christianos; vel si Ethnicos, ipsis sacrificare vetuit; quia mox falsorum numinum cultum lata lege prohibuit. Secundùm hæc relicta Roma, diceres, ut, recedente Imperatoria Majestate, majore in lumine relinqueret Pontificiam, Byzantium in Thracia magnificè amplificatum novam Imperii sedem constituit; quam ex suo nomine Constantinopolim vocatam, novam Romam; lata lege voluit appellari. Hoc ipso anno cœpta novæ Urbis constructio: quam absolutam anno deinde 330. Deiparæ Virgini dedicavit. Verùm hanc communem Ecclesiæ lætitiam exorti ab hujus sæculi initio, in Africa Donatistæ, Meletiani in Ægypto perturbarunt: in primis verò Arius, qui anno 315. emersit. Hic Alexandrinus presbyter, sacrarum literarum interpres. Defuncto Achil-

Achilla ejus Urbis Episcopo, ægrè ferens in novi Episcopi electione Alexandrum virtutum meritis clarum sibi fuisse prælatum, invidia percitus, doctrinam catholicam, quam Alexander docebat, impugnare cœpit, negans filium Dei esse ὁμόσιον, ideſt consubſtantialem, sed diversæ a Patre, inferiorisque Naturæ, atque ab eo in tempore ex nihilo creatum. Ob id Ecclesia ab Alexandro ejectus, mox Eusebium Nicomediæ Episcopum, qui postmodum alterum nomen Arianis fecit, & Eusebium Cæsareæ in Palæstina Episcopum, hæresis suæ patronos nactus, & plures alios fautores, incendium suscitavit, quod brevi Orientem universum pervasit. Illud Silvester, & Constantinus per Osium primùm Cordubæ in Hispania Episcopum Alexandriam Legatum missum, frustra restinguere conati; Nicææ deinde in Bithynia generalem Synodum * Quæst. 80.
indixerunt * *anno Christi* 325. Hæc I. P. J.
ŒCUMENICA SYNODUS. Episcopi 5038.
318. ei interfuerunt. * *præfuit Osius Cor-* An. Chr. 325.
dubensis in Hispania Episcopus, Silvestri * Quæst. 81.
legatus, unà cum Vito, & Vincentio Romanæ Ecclesiæ Presbyteris. In ea edito Symbolo fidei, in Missa cantari solito, damnata est Ariana hæresis, & filius Dei consubstantialis Patri assertus, & coæternus. Deinde statuto Verno Æquinoctio ad diem 21 Martii, in quam post Julianam anni correctionem a die ejusdem mensis 25

deciderat, ob nimiam Sosigenis, cujus opera Cæsar annum correxerat, integri diei quarto quoque anno intercalationem, Judaizantibus adhuc in celebratione Paschatis Ciliciæ, Syriæ, & Mesopotamiæ Ecclesiis, reliquis Asiæ, & Ponti jampridem Romanæ Ecclesiæ, totiusque occidentis consuetudinem amplexis, oecumenico decreto sancitum, ut Pascha Dominica proximè sequente Lunam decimam quartam, post Vernum Æquinoctium illucescentem, celebraretur. Demum discussa Meletii, Lycopolis in Ægypto Episcopi, causa, qui Schisma adversus ejus Patriarcham Alexandrinum conflaverat, & a quo Meletiani deinde hæretici nuncupati, illo omni multato jurisdictione, * *& viginti canonibus Ecclesiæ stabilita disciplina*, Synodus * *hoc ipso anno* est absoluta. In ea Athanasius præcipuas sibi in differendo partes vendicans, Arianorum immortale in se odium concitavit, qui quinto post ipsam Synodum mense in defuncti Alexandri locum surrogatus, eorundem deinceps Malleus fuit. Confirmata Silvester Nicæna Synodo post multa præclarè gesta anno Christi 335. Pontificatus 22. ultima anni die in Cœlum gloriosus abiit, cujus unius inter Romanos Pontifices Festum diem Gregorii Noni Pontificis Maximi jussu Catholica Ecclesia celebrat. MARCUS, Romanus, post Silvestrum novem circiter menses Pontificiam Sedem tenuit.

* Quæst. 81.
* Quæst. 82.

JU-

JULIUS, Romanus, ei successit, anno 336. qui amplius annos 15 regnavit. Interim Constantinus, annis uno & triginta in Imperio exactis, sequente anno vita functus Imperium inter tres filios partitum reliquit. Constantinus major natu Hispaniam, Galliam, Britanniam, & quicquid terrarum Romano Imperio suberat ultra fluvium Rhenum sortitus est. Constantio natu secundo cessit unà cum Thracia, quicquid regionum in Asia Romano Nomini audiebat, Ægyptus insuper, Lybia, & Cyrene. Quod medium interjacebat Constans, natu minimus, obtinuit, Africam, Italiam, Illyricum, & quicquid his Insularum adjacebat. Sed Constantino, anno 340. dum Constanti fratri bellum infert, perempto, hic deinde totius Occidentis Imperio est potitus, quo anno 350. proditione Magnentii Ducis sublato, solus mox Constantius, Magnentio, & Vetranione extinctis tyrannis, imperavit. Constantino, & Constante, Catholicis Augustis, ex vivis ablatis, Ariani unum Principem Constantium hæreticum nacti, caput, quod arroganter ab obitu Magni Constantini erigere cœperant, insolentiùs extulerunt. Omnes verò eorum curæ; & cogitationes in Athanasii, acerrimi Nicænæ fidei propugnatoris exitium conversæ. Hic primùm illorum calumniis circumventus a Magno Constantino Treverim relegatus, eo defuncto, ab

ejus filio Constantino liber dimissus est, ejusdemque jussu a Constantio Alexandriam repetere permissus. Deinde ab iisdem rursus sede pulsus, Gregorio Cappadoce intruso, mox Œcumenici Concilii Sardicensis, quod pro ejus causa anno 347 fuit celebratum, decreto, & Constantis minacibus ad Constantium literis, iterum est restitutus. Extincto verò mox Constante, novas rursus perpessus est persecutiones. Anno Christi 352, Julio Pontifice, quem causæ Athanasii, & Nicænæ fidei strenuum vindicem Ariani in conciliabulo, quod Philippopoli, sive Philippis in Thracia, celebrarunt eodem tempore, quo Sardicense, hujusque nomine publicarunt, anathematis sententia temerario ausu perculerunt, vita functo, LIBERIUS, Romanus, ad Pontificiam sedem est evectus. Ab eo denegata Arianis Catholica communione, quam, annuente Constantio, missa legatione petiverant, & causa Athanasii, quem etiam accusaverant, in concilio rursus discutienda, reservata, his Imperator acceptis, ira excandescens, subitò publico edicto, Episcopos, qui in damnationem
P. J. Athanasii subscribere abnuerent, exilio
5066. multari mandavit. Hęc UNDECIMA
Chr. 353. Ecclesiæ PERSECUTIO in Romano Orbe, à Constantio post extinctum Magnentium anno Christi 353 in Occidente excitata, quam in Oriente dudum cœperat. Nimirum post Gentiles Hęretici

tici Principes Imperium nacti, illorum deinceps adversus Ecclesiam persecutiones continuarunt. Hæc verò sui exordio, curante Liberio per legatos apud Constantium, in causa Athanasii Generale concilium convocari, repressa, mox acrior recruduit. Coacto Mediolani anno 355 concilio, quotquot condemnare Athanasium recusarunt, in longinquas, & diversas regiones deportati. Liberius frustra Romæ blanditiis, minis tentatus Mediolanum per vim abductus, in sententia fortiter perstans, Felice Romanæ Ecclesiæ diacono in ejus sedem intruso, in Thraciam est relegatus. Sed sequenti anno eam passa dirissimam Alexandrina Ecclesia. Perquisito ad necem Athanasio, Luctuosissima Catholicorum sine discrimine edita strages; quæ mox calamitas per universam Ægyptum, Libiam, & Cyrenem est pervagata, Catholicis ubique Episcopis cum ingentibus fidelium cædibus in Athanasium subscribere compulsis, aut in exilium actis. Athanasius Alexandria clam elapsus, in Eremo deinde ad usque Constantii interitum delituit, in cujus sedem Georgius Cappadox est intrusus. Secundùm hæc Ariani, quasi jam superato, extortis subscriptionibus, Nicænæ fidei propugnaculo, audaciores, quàm ante, ipsum expugnare sunt adorti. Postero anno, Christi 357 Sirmii, Pannoniæ Metropoli, congregati, in novo conciliabulo, postquam,

Schism. II.

quam, ut suam perfidiam obtegerent, Photinum ejus Urbis Episcopum, Christum purum hominem dicentem, condemnassent, novam fidei formulam ediderunt, qua *Filium Dei similem Patri secundum substantiam* dixerunt, omissa *consubstantialis* voce. Sed mox hac rejecta, *substantiæ* nomine sublato, & vocibus ὁμοούσιος, & ὁμοιούσιος omnino vetitis, altera edita *Filium Dei tantùm similem Patri* dici voluerunt. Rursus verò hanc quoque eorum alii, qui deinde a retento utcumque *substantiæ* nomine Semiariani sunt appellati, damnãtes, aliam Ancyræ sequente anno convenientes, sunt fabricati, qua *Filium Dei secundum substantiam Patri per omnia similem* asseruerunt. Hæc deinde Sirmiũ ad Cõstantium missa, ab Arianis est improbata. Demũ postero anno 359, Semiarianis Sirmium reversis, procurante Imperatore utrisq; iterum inter se convenientibus, tertia ibidẽ est composita formula, qua *Filius Dei similis Patri assertus est per omnia*. Interim verò Ariani hoc eodem anno 357, eorum altera formula a Semiarianis explosa, & ab Imperatore edicto vetita, priorem Romani quoque Pontificis, & Ecclesiæ capitis authoritate corroboraturi, adducto Sirmium ab exilio Liberio, * *eundem ipsi subscribere compulerunt*. Qua in re cùm gravissimè deliquerit * *a Catholica tamen fide non defecit*. Hoc miserando Liberii lapsu vulgato, abrupta statim FELIX Romæ cum Arianis communione, * *le-*

* Quæst. 84.

* Quæst. 85.

* *legitimus deinde Pontifex est agnitus*; hujus nom. II qui mox Constātio anathemate perculso, martyrio coronatus est. Post Felicem rursus Liberius, abdicata Arianorum communione est receptus, quem post subscriptam Sirmianam formulam Imperator Romam remiserat. Non prorsus per tertiam editam Sirmii fidei formulam inter Arianos, & Semiarianos extinctis dissidiis, eodem anno 359 Constantius, ut tandem certa de Christo fides stabilitur, novam Generalem Synodum indixit. Eadem verò divisa. Orientales Seleuciæ in Isauria convenire jussit; Occidentales Arimini. Seleuciæ Arianis, & Semiarianis inter se dissidentibus, præter perpetuas altercationes nihil peractum. Arimini tertia Sirmiana formula, quam Valens Mursæ in Pannonia, & Ursacius Singiduni in Mœsia Ariani Episcopi proposuerunt, proscripta, iisdemque cum aliis Arianorum præcipuis excommunicatis, Nicæna primùm fides confirmata; sed mox per Hæreticum Imperatorem prævalente rursus Ariana impietate, altera Sirmiana formula restituta, cui quà vi, quà dolis Catholicis subscribere compulsis, *Totus*, inquit Hieronymus, *ingemuit Orbis*, *& se Arianum esse*, *miratus est*. Hac deinde Ariana formula Liberius damnata, sua sede rursus a Constantio pulsus, ad usque ejusdem obitum in suburbanis Coemeteriis occultè latuit. Illo mortuo anno 361 ab

* Quæst. 86.

ab Euzoio Antiocheno Episcopo Ariano paucis ante mortem diebus baptismo suscepto, Julianus, ejus ex Patruo Constantio patruelis, Arianorum persecutionem sustulit. Odio patrui Constantii hic Imperii initio, ejectis Arianis, Catholicis sedes restituit, & pacem; sed deinde, Christiana palam ejurata religione, & perfidus factus Apostata, Constantii extinctis amicis, & Christianis abdicatis Magistratibus, Gentilibus substitutis, idolorum superstitionem toto Imperio instauravit, &
P. J. DUODECIMAM in Ecclesiam PER-
5075. SECUTIONEM suscitavit, anno
Chr. 362. Christi 362. Ea vero longe dispar ab aliis per Ethnicos Imperatores illatis. Nulla lege sancita Christianos sacra diis facere impulit. Violentia popularibus insolentiis relicta, Christianos vel a publicis suis professionibus discedere, ac præsertim a docendi munere, vel fidem abjurare jussit. Communis calamitas mitiores in Athanasium Arianos non reddidit; quin juncti illi Gentilibus acrius ipsi bellum intenderunt. Quibusdam Matronis Athanasius ad Christianam fidem conversis apud Julianum ab iis accusatus, ad necem est conquisitus. Periculum evasit, converso navigio obviam factus ipsum insequentibus; quibus elusis, Alexandriam reversus, ad Juliani usque interitum ibi delituit. Insequente anno 363, extincto Juliano, Jovianus instauratam Gentilitiam superstitionem statim rursus pro-

proſcripſit. In priſtinam dignitatem reſtitutæ Eccleſiæ pacem nec Hæretici, religioſum Principem veriti, perturbarunt. Hic verò Catholicæ fidei tenaciſſimus ab Athanaſio ejuſdem regulam præſcribi ſibi petiit. Joviano anno ſequente 364, vita functo, Valentinianus Imperium cum fratre Valente partitus eſt. Conceſſo illi Oriente, videlicet Orientali Illyrico, Aſia, Ægypto, Libya cum Cyrene, Occidentem ſibi retinuit, nempe Occidentale Illyricum, Italiam, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam, & Africam. Communi edicto ambo initio Nicænam fidem ſervari juſſerunt; ſed deinde Valens, anno 366 ab Eudoxio Epiſcopo Conſtantinopolitano Ariano ſuſcepto baptiſmo, ejuſdem impietatem amplexus, eandem hoc eodem anno. P. J.
DECIMATERTIA mota in Catholicos PERSECUTIONE, exorſus eſt 5075. Chr. 366.
propagare. Liberio anno proximo, ſedis 16. mortuo, DAMASUS, Hiſpanus, Pontificatum obtinuit, qui Urſicinum pertulit invalorem. In Oriente anno 370, Catholicis Epiſcopis publico Valentis edicto Eccleſiis pelli juſſis, perſecutio deinde Eccleſiam graviùs perturbavit. Novas latebras quærere Athanaſius compulſus, mox metu tumultuantium Alexandrinorum ab Imperatore revocatus eſt, qui anno 372 Epiſcopatus 46. clariſſimus meritis in Cœlum abiit. Valentiniano anno 375 mortuo, Gratianus, quem Auguſtum Schiſm. III

ante Pater nuncupaverat, in Occidente imperavit. Valente Patruo anno 378 extincto, idem mox, promulgato edicto, expulsis Arianis, Catholicis Episcopis Ecclesias reddi jussit. Pristinae tranquillitati Orientali Ecclesia restituta, insequente anno Orientis Augustum Magnum Theodosium nuncupavit; quo eodem anno lege lata universas haereses proscripsit. Postero anno 380. Theodosius Thassalonicae ab Acholio ejus Urbis Episcopo suscepto Baptismo, Gratianum imitatus, novo edicto cunctis interdictis haeresibus, toto ejus Imperio unam religionem, quam Sanctus Petrus Romanis tradidisset, & tum Damasus Romae Pontifex teneret, servari praecepit. Arianis mox ademptas Constantinopoli Ecclesias, quas per annos 40 occupaverant, rursus Catholicis tradidit; idque ipsum per totum Imperium praestitit. Nicaenam deinde fidem tot hactenus jactatam Arianorum turbinibus ut confirmaret, & novam exortam extingueret haeresim, Spiritus Sancti divinitatem impugnantem, quam Macedonius Arianus, Constantinopolitano Episcopatu a Constantio abdicatus, invexerat, Gregorio quoque Nazianzeno collatum ipsi Constantinopolis Episcopatum adversus Maximum Cynicum invasorem stabiliret * *Damasi authoritate* Generalem Synodum Constantinopoli indixit. HÆC ŒCUMENICA II. anno Christi 381. celebrata; cujus pars extitit

* Quaest. 87.

P. J. 5094. Chr. 381.

tit altera Romana, quam eodem tempore Damasus Romæ habuit. Asserta primùm in ea Gregorio sedes, cui mox studio pacis eodem nuntium remittente, ejus in locum Nectarius est suffectus. Deinde Nicæna rursus fide confirmata, ejusdemque explicato Symbolo, Macedoniana hæresis est confossa, & Arianorum omnis generis, Eudoxianorum, Anomæorum, Semiarianorum, Photinianorum sectæ, & Apollinaristarum. Demum tres editi sunt Canones (septem alii numerant) administrationem Ecclesiarum spectantes, quorum tertio Constantinopolitano Episcopo post Romanum primo honoris loco concesso, * *idem Patriarchica dignitate in Diœceses, Thracicam, Ponticam, & Asiaticam decoratus est*. Hoc verò honore Constantinopolitani Episcopi semel aucti, deinde effræni Orientalium Imperatorum ἀταξία freti, & innixi, primo tantùm dignitatis, & honoris loco non contenti, authoritatem quoque suam, & jurisdictionem in cæteros Orientis Patriarchas propagarunt, & adversus etiam ipsum Universæ Ecclesiæ caput Romanum Pontificem sæpe insurgentes, innumeras hæreses, & feralia Schismata invexerunt, ac demum extremum Orientis Ecclesiæ excidium. * *Hos Canones Damasus non probavit*, nec deinde ejus successores, ac præsertim hunc tertium donec Innocentius tertius, ut bono pacis consuleret, in Lateranensi quarto concilio,

* Quæst. 88.

* Quæst. 89.

lio, iisdem approbatis, usurpatum ad id temporis primum locum Constantinopolitano Episcopo post Romanum confirmavit. Pacata Ecclesia, Damasus anno 384, 18. quàm regnare ceperat, in Cęlum migravit; eum SIRICIUS, Romanus excepit. Superiori anno Maximus, extincto Gratiano, in Britannia, Gallia, & Hispania tyrannidem arripuit. Interim Valentiniano II. Gratiani fratre in Italia, & reliquis Occidentis Provinciis regnante, & Arianis Justinæ Matris impulsu Arianæ fęminæ, favente, nonnihil Catholica Ecclesia in ejus Imperio turbata est. Impios eorum conatus invicta constantia sæpe Ambrosius Mediolani Episcopus repressit, & mox Deus per eundem Maximum ultus est, qui improvisus Italiam ingressus, in Orientem ipsos confugere compulit. Hoc Theodosius anno 388. profligato, & occiso Occidentis Imperium Valentiniano restituit, & cum Ambrosio, Catholicaque Ecclesia reconciliavit; quo paulo post sublato, arrepta rursus ab Eugenio tyrannide, idem Theodosius, novo quoque tyranno extincto Imperium solus est adeptus. Anno 395. Theodosius vita functus, Arcadio majori natu filio Orientem reliquit, Honorio Occidentem. Horum Principum Imperium Ruffinus, & Stilico, ille natione Gallus, hic genere Vandalus, quos Theodosius ob juvenilem ætatem filiis tutores dedit, Ruffinum Arca-

dio,

dio, Honorio Stiliconem, luctuosum fecerunt. Ambo mox Imperium affectantes, excitis e Germania, & finitimis regionibus barbaris, id ferme pessundederunt. Siricio Pontifice post annos 13. Pontificatus defuncto, ANASTASIUS, Romanus Ecclesiæ præfuit. Ab eo anno 400. damnatis erroribus Origenis, mox collectis ubique Synodis Origenes per Orientem, & Occidentem est proscriptus.

Quintum Sæculum Romano Imperio funestissimum fuit, proditione Ruffini, & Stiliconis. At præsertim in Occidente; ubi Barbari per Stiliconem perduellem illud semel ingressi, demum occupatum everterunt, & in nova Regna distraxerunt. Hæc, in Britannia Regnum Anglorum, regna Francorum, Burgundionum, & Visigotthorum in Gallia, similiter Visigotthorum in Hispania, Alanorum, & Svevorum; in Africa Vandalorum; ac demum in Italia Ostrogotthorum; quæ gens universa Ariana labe infecta præter Anglos, & Francos gentilitiæ superstitioni adhuc addictos. Hoc eodem tempore nobilissimæ toto Orbe Venetorum Reipublicæ jacta sunt primordia. Ipsius sæculi exordio Vandali, Alani, Svevi, vastatis Galliis, Hispanias occuparunt. Burgundiones earundem Galliarum partem. Rhadagaisus Scytha ingenti barbarorum multitudine Italiam invasit. Eandem deinde Alaricus Visigotthorum rex

Sæculum V.

hic verò anno Christi 410 Romam cepit, & diripuit, atque Attalum Urbis Præfectum adversus Honorium creavit Augustum, quem mox, oblatam ab Honorio Imperii communionem superbè respuentem abdicavit. Alarico deinde anno sequente 411 Athaulphus successit, qui Gallias adiit, & mox Hispanias, ubi deinceps ejus successores regnarunt, Galliarum quoque parte ipsis concessa. Nec minus Ecclesiæ exitiale istud sæculum fuit. Nova hoc ipso sæculo exorta Monstra illam infestarunt, Pelagius, Nestorius, & Eutyches. Anastasio post annos
P. J. 4. sedis vita functo INNOCENTIUS
5115. Albanus suffectus est anno 402, qui
Chr. 402. Pelagium, & Cœlestium damnavit, nullum originale dari peccatum docentes, & sine Dei gratia per solas naturæ vires hominem posse divina adimplere præcepta, justificari, & æternam consequi salutem. Idem non prius communionem ullam cum Attico Constantinopolis Episcopo, & Orientalibus habere voluit, quàm nomine Arsacii, Constantinopolitanæ sedis post ejectum Joannem Chrysostomum invasoris, ex diptychis eraso, Joannis nomen in easdem Ecclesiasticas tabulas, unde fuerat injustè obliteratum, referretur. Innocentio anno Christi 417, sui Pontificatus 16 defuncto ZOSIMUS Græcus successit.
*Quæst. * *Hic Cœlestii Hæresim non approbavit*,
90. sed Pelagianorum fraudibus initio circum-

cumventus, eorum dolis mox per Africanos Patres patefactis, anathemate ipsos confixit, & missis ad totius Orbis Ecclesias encyclicis de eorum damnatione literis prorsus prostravit. Illo altero sedis anno vita functo, BONIFACIUS, Romanus, creatus est, contra quem Eulalius quartum schisma conflavit. Quinto anno sedis Bonifacium defunctum CŒLESTINUS, Romanus, excepit, anno Christi 423; quo pariter in Occidente, Honorio vita functo, Valentinianus III, ejus ex Placidia sorore nepos, sublato Joanne Tyranno, regnavit. Extincta Pelagiana peste, mox novam invexit Nestorius Constantinopolis Episcopus. Duas hic hæresiarcha distinctas in Christo personas divinam unam, & humanam alteram asserebat; addens Mariam Virginem nullatenus dicendam Θεοτόκον, sive Deiparam, ac Dei Matrem, sed tantùm Christi: Eam enim humanam ejus duntaxat personam genuisse cum natura humana humanitus subsistente, & completa. Hunc Cœlestinus per Cyrillum Alexandrinum principio ad palinodiam adigere conatus est. Quo in contumacia persistente adversus ipsum III ŒCUMENICA Synodus, curante Theodosio juniore Augusto, qui Parenti Arcadio in Oriente successerat, unà cum Pulcheria ejusdem sorore, sanctissima fœmina, Ephesi est celebrata, anno Christi 431. Confirmatis Sacra Synodus duode-

Schism. IV.

P. J. 5144. Chr. 431

decim Anathematismis, quos superiori anno Cyrillus Alexandriæ coacta Synodo adversus Nestorii blasphemias ediderat, impia ejusdem confixa hæresi, declaravit, in Christo unicam esse Divinam personam, & Mariam Virginem Θεοτόκον, seu Deiparam dicendam. Aliquot deinde contra eundem, & Pelagium, ac Cœlestium edidit Canones. Damnatus Nestorius, nec resipiscens, Teodosii jussu Oasim, Libyæ oppidulum, deportatus, ibi lingua vermibus exesa, totoque corpore putredine absumpto, miserè periit. Sacræ Synodi actis confirmatis Cœlestinus sequenti anno, sui Pontificatus nono mortalem vitam immortali commutavit. SIXTUS III, Romanus,
P. J. 5150. post eum 8 circiter annos sedit. Sex-
Chr. 437. to ejus Pontificatus anno, Christi 437 Gensericus Arianus rex Vandalorum, Africa per hæc tempora potitus, DECIMA QUARTA PERSECUTIONE, in Romano orbe divexare Ecclesiam cœpit; quæ deinde sub ejus successoribus modicis interrupta intervallis, Africanam Ecclesiam quinque & octoginta annos afflixit. LEO, Thuscus, Sixto successit anno 440. Tertium monstrum, hoc Pontifice, ad infestandam Ecclesiam emersit, Eutychiana hæresis. Hanc Eutyches, Archimandrita, sive Abbas cujusdam Monasterii Constantinopolitani, ex summo Hæresis Nestorii odio induxit. Duas negans in

Christo naturas, unam, atque eam Divinam asseruit. Ambas illius naturas, Divinam, & humanam post unionem mutua commixtione in unam coaluisse, asseverabat, ita tamen ut a Divina humana absorpta, hæc nihil de sui veritate præter apparentiam quandam, & figuram retineret. Primus Flavianus, Constantinopolitanus Episcopus, hanc Eutychetis blasphemiam condemnavit, anno 448, quæ deinde anno sequente per Dioscorum, qui in Alexandrina sede Cyrillo successerat, Eutychetis Patronum in Ephesino conciliabulo a Theodosio, procurante Chrysaphio Eunucho, Imperatoris cubiculi Præfecto, fautore Eutychetis, convocato, restituta, Leonis legatis adversantibus male habitis, & Flaviano multis injuriis, & verberibus affecto in exilium acto, catholicisque reliquis Episcopis impiæ blasphemiæ abnuentibus subscribere, demum in nova Generali convocata Synodo est profligata. Hæc ŒCUMENICA IV. SYNODUS, Chalcedone, quæ Civitas septem dumtaxat stadiis Constantinopoli distat, interjecto inter utramque Bosphoro, celebrata anno 451, quam ad novum confligendum monstrum, Marcianus, & Pulcheria, qui post Theodosium imperarunt, religiosissimi Principes ex more * *Romani Pontificis authoritate* indixerunt: * *eidem legati Leonis præfuerunt*. Ephesini conciliabuli gestis P. J. 5164. Chr. 451. * Quæst. 91. * Quæst. 92.

pro-

proscriptis, & Eutychiana blasphemia anathemate perculsa unà cum ejus auctore Eutychete, Dioscoro Alexandrino, ejusdemque fautoribus, duæ in Christo assertæ sunt naturæ, Divina, & humana, inter se distinctæ, & indivisè absque confusione in una Divina Persona conjunctæ. Composita in eadem Synodo causa Juvenalis Hierosolymorum Episcopi, & Maximi Antiocheni; tribus Palæstinis Provinciis ante Antiochenæ sedi subjectis, Hierosolymitanæ concessis, ad Patriarchicam dignitatem hæc est evecta; quam dignitatem Œcumenicum concilium quintum, rogante Justiniano, ipsi deinde rursus confirmavit. Absentibus Leonis legatis 27, sive 30 canones ab eadem Synodo editi sunt. Eorum vigesimus octavus Patriarchica Privilegia, quæ Patres Constantinopoli in secundo Oecumenico concilio congregati Constantinopolitanæ Ecclesiæ contulerunt, confirmat, ut scilicet primo post Romanam frueretur honore, & jus, potestatemque haberet, in Thraciæ, Ponti, & Asiæ Diœceses, earumque Metropolitas, & Barbarorum insuper Episcopos ordinaret. Sed hujusmodi Privilegiis, his sedibus collatis tanquam Nicæno decreto, de servandis Ecclesiis integris earum juribus adversantibus, Leo rursus intercessit. Harum sedium jura, & Patriarchalem dignitatem Romana Ecclesia non confirmavit ante annum

1215.

1215. quo Innocentius III in Concilio Lateranensi IV studio pacis hæc approbavit, Constantinopolitanæ sedi primo post Romanam loco concesso, secundo Alexandrinæ, tertio Antiochenæ, quarto Hierosolymitanæ. Piissimorum Principum Marciani, & Pulcheriæ ope Leo, in Oriente restincto incendio, quod Eutyches in Ecclesia excitaverat, insequente anno 452 novum in Occidente ab Italia avertit, quod Attila rex Hunnorum intulerat; cui post eversam Aquilejam, & direptas insignes Æmiliæ, & Liguriæ Urbes extremum Italiæ excidium minitanti, ad Mincium amnem, ubi in Padum influit, obviam factus, divina sua eloquentia discedere ex Italia, & Patriam repetere persuasit. Hæc Attilæ irruptio nobilissimæ VENETIARUM Civitati ortum dedit, plerisque Venetiæ Provinciæ populis ad vicinas Adriatici sinus Insulas metu compulsis. Anno 455 Maximus, Valentiniano, qui ejus uxorem constupraverat, extincto, Imperium invasit. Hic deinde Eudoxia Augusta invita sibi juncta, aliquando fassus se ejus amore Valentinianum interfecisse, Genserico ab ea ex Africa evocato, inexpectato ejusdem adventu ille territus, dum fugeret, a suis lapidibus obrutus est, necdum tertio mense Imperii expleto. Illud deinde viginti circiter annis utcunque stetit, quod successivè

Avi-

Avitus, Majoranus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Julius Nepos, & Augustulus, brevi singuli temporis spatio tenuerunt. Gensericus, capta urbe, Leone Pontifice deprecante, ferro, & igne abstinuit, sola direptione contentus. Leo anno 461, pontificatus 21, in cœlum migravit. HILARIUS Sardus Calaritanus eum excepit; hunc vero anno sedis ejus 6 SIMPLICIUS Tiburtinus. Romanum Imperium Simplicio Pontifice, in Occidente Occasum passum est anno Christi 476, Italia, quæ una ferme in Occidente Romanis Principibus adhuc parebat, ab Odoacre Herulorum Rege occupata, & Augustulo Lucullanum Campaniæ oppidum relegato. Hujus Regia sedes, & deinde Gotthorum, Ravenna. Hæc verò tempora Ecclesiæ infelicissima. Nullus toto orbe his temporibus catholicus Princeps. In Oriente, Zeno, qui Leonem Marciani successorem exceperat, Eutychianus regnabat; in Occidente, Odoacer in Italia Arianus: in Gallia, Burgundiones, & Gotthi Ariani, & Franci Gentiles: Gotthi, & Svevi in Hispania Ariani: in Britannia Angli Gentiles: & in Africa Vandali Ariani: qui funestissimus Ecclesiæ rerum status multorum annorum fuit. Zeno hoc ipso anno 476 imperio pulsus à Basilisco, eodem sequente anno recepto, ea vexatione nonnihil ad meliorem frugem est re-

P. J. 5189. An. Chr. 476.

dactus. At mox in deteriora relapsus in Oriente DECIMÆ QUINTÆ Ecclesiæ PERSECUTIONI initium dedit anno 482, quo, procurante Acacio Constantinopolis Episcopo Eutychiano, Petro Moggo, & Petro Cnaphæo, sive Fullone, in Alexandrinam sedem, & Antiochenam, quibus paulo ante expulerat, restitutis, ejusdem mox suasione novam fidei formulam promulgavit *Henoticon* ab eo appellatam, hoc est *Pacis Conciliatorium*. Simplicio insequente anno 483, pontificatus 16 vita functo, FELIX III Romanus sedit. Rejecto ab eo Zenonis Henotico, quod callidè in abrogationem Chalcedonensis Concilii fuerat invectum, & mox anathemate Acacio unà cum Moggo, & Fullone perculso, per Orientem catholicis Episcopis ubique ejectis, eorum in sedes Hæretici sunt substituti. Hæc vexatio ab Anastasio deinde Zenonis successore continuata, sex & triginta annos tenuit. Quo tempore catholici licèt aliqui Episcopi Constantinopoli, alibique sederint, ob retentum nihilominus in sacris Diptychis contra Felicis præceptum Acacii nomen, a Romana Ecclesia schismate sunt discissi. Felix anno 492, Pontificatus 9, sedere desiit. GELASIUS, Africanus ei successit. Proximo anno 493, Ostrogotthicum Regnum in Italia exortum est. Illud Theodoricus rex Ostrogotthorum, Odoa-

P. J. 5195. A. Chr. 482.

P. J. 5206. An. Chr. 493.

doa-

doacre perempto; fundavit. Gelasius anno 494 coacta Romæ synodo, inter alia utriusque Testamenti libros, & Doctorum scripta Ecclesiastica authentica ab ambiguis, & apocryphis discrevit. Quinto pontificatus anno Gelasio mortuo, ANASTASIUS II Romanus duobus circiter annis regnavit. Post eum SYMMACHUS, Sardus Simmagensis Pontificatum obtinuit ex Theodorici regis sententia, cujus judicium fuit interpellatum, Schis. V. Laurentio quinti Schismatis auctori, prælatus. Hujus Pontificatus initium Clodovei Francorum Regis unà cum ejus populo ad Christi fidem conversio, opera S. Clotildis ejus conjugis illustravit anno Christi 499; quæ fuit miraculis insignis. Missis aliis, ipso Regis baptismi tempore, ampulla Chrismatis ore columbæ cœlitus advenientis delata est, qua tum Fons more solito, tum Rex ipse est sacratus: cujus exemplo successores Francorum Reges ejusdem celestis ampullæ perenni sacro oleo hactenus consueverunt inungi.

Sæculum VI. P. J. 5214. Ann. Chr. 501. Sextum sæculum Symmachus tertio pontificatus anno est exorsus. Eo, anno sedis 16. defuncto, HORMISDA Frusinas Ecclesiam moderatus est. Anno 518 Anastasio immanissimo Ecclesiæ persecutore, divinitus icto fulmine extincto, Justinus ad Imperium evectus, proscriptis Hæreticis, Orientis Ecclesiæ pacem attulit. Hanc sequen-

quente anno, in Orientem missis ab Hormisda Legatis, instaurata Ecclesiarum unio excepit, Acacii nomine eraso e sacris tabulis; quam frustra impedire pertentarunt Monachi quidam Scythæ * *Occultè hæretici Eutychiani*, asserentes in fidei professione adversus Nestorianam Hæresim addendum esse, *Unum de Trinitate esse Christum crucifixum*. Hormisda post annos sedis 9 vita perfuncto, JOANNES Thuscus tres circiter annos pontificatum tenuit. Huic Theodoricus FELICEM IV, Beneventanum suffecit. Hic primus Romani Pontificis electionem sibi arrogavit. Deinde ejus Successores, & his Italia pulsis, Orientis Imperatores, novi Pontificis electione Clero ex more relicta, solam ejusdem approbationem sibi vendicarunt. Felix obiit anno 530, 5, quàm sedere cęperat. BONIFACIUS II, Romanus, genere Gotthus ei successor datus est, contra quem Dioscorus sextum conflavit schisma. Annum circiter sedit. Schism. VI.
JOANNES II. Romanus, cognomine *Mercurius*, ei successit. Hunc post annos 4 AGAPETUS Romanus excepit anno Christi 535, quo Justinianus, qui post Justinum avunculum in Oriente imperavit, confecto feliciter superiori anno vandalico in Africa bello, gotthicum in Italia est exorsus. Postero anno Agapetus a Theodato Gotthorum Rege legationem ad Justinianum subire coactus, ut pacem

* Quæst. 93.

Italiæ impetraret, quam Imperator Barbaro Principi concedere noluit, Constantinopoli, post abdicatum ejus Urbis sede Anthimum Eutychianum, & Mennam ejus loco constitutum, decessit. Hoc ipso anno Romæ audita Agapeti morte SILVERIUS Hormisdæ quondam Pontificis Filius, ei suffectus est, quem mox Theodora Augusta, Eutychiana fœmina, abnuentem Anthimum restituere, & Chalcedonense Concilium tollere, per Belisarium Ducem, calumniis appetitum in exilium exportari fecit, & in Pontificiam sedem Vigilium Romanæ Ecclesiæ Diaconum intrudi, qui post Agapeti mortem Constantinopoli, Pontificatus, & septem auri centenariorum promissione illectus, ipsi Anthimi restitutionem, & Chalcedonensis Concilii abolitionem promiserat, si Romanus Episcopus crearetur. Hic, occupata sede, ad Theodoram, & ad Episcopos Hæreticos scriptis literis, si Liberato credimus, Chalcedonensem fidem condemnavit. Sed anno 540, Silverio in Palmaria Insula ærumnis, & inedia extincto, VIGILIUS a clero studio pacis electus, subito divinitus in Virum mutatus est alterum. Hoc Pontifice celeberrima trium Capitulorum controversia, quæ Orientem, & Occidentem inter se commisit, exorta est. Hanc Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus suscitavit occasione Justiniani *Edicti*, quod ipse Imperator,

Schism. VII.

expo-

expoſcentibus Pelagio Vigilii Conſtantinopoli Apocriſiario, ac Menna Conſtantinopolitano Epiſcopo, adverſus Neſtorianos & Eutychianos Orientem adhuc infeſtantes, & renaſcentes Origeniſtas promulgavit. Hac re Theodorus occultè Eutychianus, & Origeni addictiſſimus, vehementer offenſus, Pelagio, & catholicis ut vicem rependeret, eidem Imperatori, cujus gratia pollebat, ſuggeſſit, Chalcedonenſe Concilium omnes Acephalos (ita Eutychiani poſt id Concilium in varias ſine capite diſſecti partes ſunt appellati) amplexatos, dummodo Theodorum Mopsveſtiæ Epiſcopum, ejuſque doctrinam, Epiſtolam Ibæ Epiſcopi Edeſſæ ad Marim Perſam, & ſcripta Theodoreti Cyri Epiſcopi contra Cyrilli Alexandrini Anathematiſmos, omnia Neſtorianæ hæreſi faventia, publico edicto proſcriberet; Acephalos enim a Chalcedonenſi ſynodo abhorrere, quòd illa Ibam, & Theodoretum, indemnata illius epiſtola, hujuſque ſcriptis, in communionem admiſiſſet; quin Ibæ epiſtolam orthodoxam pronunciaſſet, atque adeo etiam Theodori hæreticam doctrinam tantoperè in ea collaudatam approbaſſet. Hæc Theodorus, homo vaferrimus, & mendaciſſimus, in Chalcedonenſis Synodi labefactionem, quaſi hæc, Eutychiana hæreſi condemnata, Neſtorianam reſtituiſſet. Juſtinianus redintegrandæ ſpe concordiæ tria illa capitu-

pitula edicto damnavit anno Christi 546. Principio Imperatoris edicto obstitere ubique Catholici; in primis Vigilius, rati, tribus illis capitulis condemnatis, labefactari Chalcedonensis concilii auctoritatem: mox Orientalibus ad Imperatoris partes accedentibus, inter se sunt divisi. Vigilius Constantinopolim evocatus, expensis ibi ambarum partium rationibus, videns per eorum capitulorum damnationem Chalcedonensi Synodo nullum præjudicium afferri, & Orientalium schisma in gratiam Imperatoris imminere, eidem deinde ipse quoque adhæsit. Sed mox, Occidentalibus schisma conflantibus, unà cum Imperatore generalis synodi judicio controversiam

P. J. definire statuit. Hæc fuit ŒCUME-

5266. NICA V SYNODUS, CONSTANTI-

An. Chr. NOPOLITANA II, anno Christi 553

553. celebrata. In ea primùm Origenes rursus proscriptus, ejusque errores; Tria deinde capitula condemnata, & 14 anathematismis, sive canonibus catholica Fides adversus Nestorium, & Acephalos explicata. Synodo Vigilius non interfuit. *Constitutum* ad eam misit, quo Personis illorum Præsulum, quos Chalcedonensis Synodus receperat, ullam injuriam inferri prohibens, tantùm eorum errores damnari præcepit. At a Patribus Theodoro unà cum ejus doctrina anathemate perculso, & universim Ibæ epistola, & Theodoreti scriptis censura notatis,

tis, & legi prohibitis, cùm etiam non expectatis Occidentis Episcopis, peracta omnia fuissent, Vigilius deinde Synodum constanter abnuit confirmare. Quam ob rem, jubente Imperatore, fune ad collum injecto per urbem tractus, in tetrum carcerem est detrusus, & deinde in exilium deportatus. Hoc eodem anno 553 Narses Justiniani Dux, victo, & cæso Theja postremo Gotthorum rege, gotthico bello, simul & regno in Italia finem imposuit. Hujus deinde precibus Vigilius exilio liberatus, * *Synodo* * *quæ, nulla illata injuria Chalcedonensi concilio, tria capitula condemnaverat, confirmata*, Romam redire est permissus; quò tamen non pervenit, Syracusis in Sicilia Insula justo Dei judicio vita functus, anno 555, pontificatus 16, qui in Insula S. Silverium decessorem suum mori coegerat. Eadem sacrilega tyrannide tum Justinianus, quotquot synodum approbare recusarunt, sedibus ejectos, ac dignitatibus privatos in ærumnosa exilia relegavit. Hi verò Occidentales plerique, Vigilii freti *Constituto*, Africani præsertim, & Istriani, quorum hi dirum, & diuturnum, annorum amplius centum, schisma conflarunt. Ea Aquilejensis Patriarchatus origo; ex quo mox ortus Gradensis, quem deinde Nicolaus V. Pont. Max. anno 1451 Venetias transtulit, ea dignitate Divo Laurentio Justiniano primùm

* Quæst. 94
* Quæst. 95.

decorato. Vigilium excepit PELAGIUS Romanus; hunc anno 5 Sedis JOANNES III. Romanus cognomine *Catellinus*, qui 13 circiter annis sedit. Anno Christi 565 Joanne annum 6 regnante, repentina morte Justinianus sublatus est, quem nimium ejus circa fidei dogmata studium perdidit, in Aphthartodocetarum demum, sive incorruptibilium hæresim lapsum, corpus Christi ante resurrectionem incorruptibile asserentium, Justinus II. ejus ex Vigilantia sorore Nepos ipsi
P. J. succeffit. Eodem Joanne Ecclesiæ cla-
5281. vum regente, novum in Italia regnum
A. Chr. Longobardi fundarunt anno Christi
562 568. Horum opera Narses ante annos 14. ad expellendos Italia Gotthos usus, eandem deinde, quam a Justiniano administrandam acceperat, atroci injuria a Sophia Augusta Justini Conjuge irritatus, illis rursus e Pannonia evocatis prodidit. Alboinus eorum rex universa Italia, præter Romam & Ravennam (hanc deinceps Orientis Imperatores per Exarchos, illam per Duces regere consueverunt) potitus, Ticini regiam sedem sibi suisque Successoribus constituit. BENEDICTUS Romanus cognomento *Bonosus* Joanni succeffit: huic anno pontificatus 5 PELAGIUS II. Romanus. Hoc Pontifice, nova incrementa Christiana Religio accepit. Bajoarii, sive Bavari Christi fidem sunt amplexi anno 580, annuntiante ipsis Euangelium

Ru-

Ruperto Vangionensi, seu Vormatiensi Episcopo. Eodem Pelagio Christianam rempublicam moderante, Leovigildus rex Gotthorum Arianus in Hispania DECIMAM SEXTAM adversus Ecclesiam PERSECUTIONEM movit anno Christi 583. In ea plures martyrium passi, in quibus Hermenegildus ejusdem filius. Reccaredus post Patris mortem anno 590 eam sustulit, catholicam fidem unà cum universo regno amplexus. Hæc inter in Oriente, mortuo Justino Tiberius II Imperium est adeptus: huic deinde successit Mauritius: quo extincto Phocas Imperium invasit: post hunc Heraclius imperavit. Annos amplius 12 Pelagius sedit. Magnus GREGORIUS Romanus * *Monachus ordinis S. Equitii* ei successit anno 590. Pontificatus ejus initium Longobardorum conversio illustravit, Agilulpho apud eos regnante, qui insequente anno Reginæ Theodolindæ opera unà cum universo populo, gentilitatis, aut Arianismi impietatibus irretito ad catholicam religionem est conversus. Gregorius deinde, Joannis Jejunatoris Constantinopolitani Episcopi sese Patriarcham Oecumenicum inscribentis compressa audacia, Anglos quoque per Augustinum Abbatem, aliosque sanctos viros ad Christianam fidem convertit. Eandem fidem Hiberni, & Scoti per Patricium & Palladium Celestini temporibus susceperant; Pi-

P. J. 5296. An. Chr. 583.

* Quæst. 96.

cti deinde per Columbanum anno 565.

Sæculum VII. Exordio ſeptimi ſæculi pernitioſiſſima mundo peſtis oborta eſt, Mahometana ſecta. Hanc invexit Mahometus Arabs, quam ex Judaiſmo, Arianiſmo, & Ethniciſmo conflavit, Sergio quodam monacho neſtoriano uſus, cùm eſſet ipſe planè illiteratus. Ea deinde longè, & latè diffuſa, Aſiam ferme univerſam, atque Africam & Europam, magnam partem occupavit. Mahometus ob errorum novitatem perſecutionem paſſus, Mecha Medinam aufugit anno Chriſti 622. Ab hac fuga, quam Arabes *Hegyram* vocant, omnes Mahometanæ nationes Epocam ſuam, ſive Hegyram, computant. Nefandam ſectam Idem Mahometus per omnem Arabiam propagavit, quam cunctis ad ipſum flagitioſis, & latronibus undequaque confluentibus, vi, & ferro ſuo imperio ſubjecit. Anno Chriſti 630. Mechæ defunctus regnum Abubachari cognato ſuo reliquit. Sepulchrum ejus Mechæ ſublime pendere fertur in medio templo vi magnetica elatum, lapidibus ornatum pretioſis; ad quod Mahometani religionis ergo frequentes conveniunt. At ejus corpus hodie Medinæ jacet; eò translatum à tempore, quo Abucherchus Luſitanus Mecham occupare tentavit. Gregorius cantum planum, ſeu uniſonum in Eccleſia inſtituit. Multa ſunt, & magna quæ geſſit, & ſcri-

scripsit. In Cœlum abiit anno 604, P. J.
sui Pontificatus 14. Gregorio SA- 5317.
BINIANUS Volaterranus succes- An. Chr.
sit; huic post 5. menses BONIFA- 604.
CIUS III. Romanus; quem post 8. menses BONIFACIUS IV. ex Valeria civitate Marsorum excepit. Hoc sedis anno 7. defuncto, DEUS-DEDIT Romanus trescirciter annos regnavit. Post eum BONIFACIUS V Neapolitanus pontificatum cepit. Anno 8. quàm sedere cœperat illo mortuo, HONORIUS Campanus in Apostolicam sedem evectus est. Regnante Honorio, nova tempestas ad perturbandam Ecclesiam est exorta anno Christi 629. Ea Monothelitarum Hæresis, qua in Christo unam duntaxat voluntatem, & operationem, eamque divinam asserebant. Theodorus Pharanita in Arabia Episcopus ejus auctor; a quo ad Sergium Constantinopolis Episcopum, Cyrum Phasidis in Colchide, & Athanasium Jacobitarum Patriarcham (ita demum Acephali a Jacobo quodam Zanzalo sunt appellati) derivata, cùm aliquandiu latuisset, primùm deinde in apertum erupit hac occasione. Heraclius, qui hoc tempore in Oriente imperabat, cum Hierapoli versaretur, idem Athanasius ad eum venit. Benignè Imperator ipsum excepit, & ad synodum Chalcedonensem, ejurato Eutychetis dogmate, amplectendam adhortatus est, Antiochenum Patriarchatum pol-

licitus. Ea spe allectus homo vafer, nihil cunctatus, fidei se catholicæ simulavit assertorem. Dixit se Chalcedonensem synodum amplecti, & duas in Christo fateri naturas, sed Heraclio unam Christi voluntatem, & operationem insinuavit; qui mox, ejusdem cum Athanasio sententiæ Sergio, & Cyro repertis, eandem impietatem etiam ipse est amplexatus. Patronum verò illi nacti Imperatorem, tum demum mortiferum virus palam diffundere sunt exorti. Primus Cyrus, qui ab Heraclio in Alexandrinam sedem translatus, mox coacta Alexandriæ synodo, vetitis *duarum voluntatum, & operationum vocibus*, *in* Christo *Deivirilem* tantùm *voluntatem*, *& operationem* dicendam edixit, anno Christi 633. Huic primus obstitit Sophronius tum adhuc tantùm Alexandriæ Monachus, postea verò Hierosolymitanus Episcopus, qui statim Sergium constantinopolitanum Episcopum adhuc occultè hæreticum ea de re admonuit. Sergius deinde per literas Honorio Romano Pontifici idem significavit, addens insuper ad Ecclesiæ pacem optimum fore, si novæ exortæ quæstioni de una, vel duabus Christi voluntatibus, & operationibus, silentium imponeretur. Acceptis Honorius Sergii literis, ejusdem sententiam, ut dissensionum materiam tolleret, approbavit, addens ad ipsum rescribendo, satis esse duas in Christo

secun-

secundùm Chalcedonense Concilium confiteri naturas indivisè, inconfusè, inconvertibiliter conjunctas, Eundemque in una consistentem persona, operatum secundùm duplicem operationem duarum naturarum humanæ, & divinæ. Idem Sophronio Sergius anteà suaserat. At mox Cyro rursùs unam in Christo voluntatem, & operationem edocente, Sophronius tum Hierosolymorum creatus Episcopus ea de re ad Honorium legationem misit. Ad hæc Honorius ad Cyrum scribens, silentium ipsi indixit; quo ipso tempore novis Sergio datis literis in sententia se perstare significavit, ut bono pacis ad evitandas in Ecclesia turbas de utraque voce tam unius, quàm duarum voluntatum, & operationum taceretur; Definiens rursus pro una operatione oportere unum operantem Christum Dominum in duabus naturis confiteri, & pro duabus operationibus ipsas potius duas naturas divinam, & humanam in una persona Unigeniti Dei Patris inconfusè, indivisè, & inconvertibiliter prædicare, propria operantes. Quibus nihil magis catholicum, & nihil his temporibus ad pacem in Ecclesiis conservandam utilius, * *ut per summam calumniam tantus Pontifex Monothelismi insimuletur*. Secundùm hæc vivente Honorio, Cyrus, & Sergius nihil ultra ausi. Verùm Heraclius hactenus Persarum, & Barbarorum Victor, & triumphator,

* Quæst. 97.

postquam Monothelitarum suscepit patrocinium, Numinis in se ira concitata, Saracenis duce Haumaro, Abubacharis successore, Romanum imperium ingressis, ejus sæpe victis, & cæsis Ducibus, nobilissimas Imperii provincias amisit, Ægyptum, Palæstinam, & Syriam, quarum Metropoles Alexandria, Hierosolyma, & Antiochia præcipuum erant Orientis ornamentum. Anno Christi 634 Ægyptum Barbari occuparunt, sequente Syriam. Anno proximo 636 Palæstina sunt potiti. Hierosolyma per annos deinceps 463 captiva & detenta, Saracenorum jugo deinde liberata Godefredi Bullonii virtute anno Christi 1099. Mortuo Honorio anno 638, sedis 13, Monothelitarum turbæ in Oriente cœperunt. Insequente anno Heraclius publico edicto, quam *Ecthasim* vocant, hæresim promulgavit. Eandem Cyrus, & Sergius pseudo coactis Synodis confirmarunt. SEVERINUS Romanus post Honorium in apostolicum thronum evectus, primus Heraclii Ecthesim damnavit, & Monothelitarum hæresim anathemate confixit. Eo post quatuor menses defuncto, JOANNES IV Dalmata creatus Pontifex idem præstitit. Mortuo Joanne anno sedis secundo THEODORUS Hierosolymitanus Pontificatum adeptus est anno 641. Hoc eodem anno Heraclio vita functo, Constantinus III. paternum imperium susce-

scepit. Hoc mox à Noverca Martina veneno extincto, Heracleonas cum Martina Matre imperium invasit. Quibus post sex menses a Senatu in exilium ejectis, Constans II Constantini filius imperavit. Theodorus Pyrrhum Monothelitam Constantinopolis Episcopum, hæresim ejurantem in communionem recepit, quem mox ad vomitum reversum damnavit, intincto in Christi sanguinem calamo ejus damnationi subscribens. Mortuo Theodoro anno 649, sedis 8, MARTINUS Thuscus Tudertinus apostolicam sedem conscendit. Novo superiori anno ad Monothelitarum hæresim magis stabiliendam promulgato à Constante Edicto, sive (uti appellant) *Typo*, statim Martinus congregata Romæ Synodo Monothelitarum hæresim, ejus Auctores, Ecthesim Heraclii, & ipsum Constantis Typum condemnavit. Ea propter sequente anno Sanctissimus Pontifex Roma Constantinopolim per Exarchum Calliopam abreptus, Chersonam relegatus est; ubi ærumnis confectus Martyr occubuit anno 654, sui Pontificatus 7. Quorum in ultionem scelerum Constans ab Saracenis navali prælio victus horrenda cum suorum strage Cyprum, Rhodum amisit. Illorum Dux Mahuvias Rhodium Æneum Colossum, quem Rhodii maris Domini Soli erexerant, altitudine centum viginti sex pedum, effractum cuidam Judæo

dæo Edesseno vendidit. Martinum septem circiter menses EUGENIUS Romanus excepit : hunc VITALIANUS Signinus, qui anno sedis quartodecimo defunctus successorem habuit ADEODATUM Romanum. Huic post septem annos sedis DONUS Romanus successit, quo altero anno mortuo AGATHO Siculus Panormitanus in ejus locum est suffectus. Hic Monothelitarum turbas, quæ annis amplius 40 Ecclesiam in Oriente divexaverant, congregata ope Religiosissimi Principis Constantini Pogonati, qui impio parenti Constanti successerat, Generali Synodo repressit. Ea ŒCUME-
P. J. 5393. NICA VI SYNODUS, CONSTAN-
An. Chr. 680 TINOPOLITANA III. * *Ejusdem Præ-*
* Quæst. 98. *sides Legati Agathonis*. Anno 680 incepta, sequente absoluta est. In ea damnata Heraclii *Ecthesis*, & Constantis *Typus*. In Sergium, Pyrrhum, Paulum, Constantinopolitanos Episcopos, Cyrum Alexandrinum, cæterosque Monothelitas, * *quibus Monotheli-*
* Quæst. 99. *tica manus Honorium quoque Romanum Pontificem deinde inseruit*, dicto anathemate, definitum, duas in Christo esse voluntates, & operationes, divinam, & humanam, quot sunt in eo naturæ distinctæ, & inconfusæ. Reddita Agatho Ecclesiæ pace obiit anno 5 sedis. LEO II, Siculus, post Agathonem decem circiter menses sedit: post Leonem BENEDICTUS II, Romanus, vix novem menses regnavit.

Hujus

Hujus pietate Constantinus compulsus, jam ante Agathoni remissa pecunia, quam creati recens Pontifices primùm Gotthis, & deinde Orientis Imperatoribus persolvere sunt coacti; eorundem quoque confirmationem, quam æquè utrique sibi usurpaverant, relaxavit. JOANNES V, Antiochenus, unum circiter annum Ecclesiam rexit. CONON, Thrax post undecim menses decessit. SERGIUS, Antiochenus, extincto octavo schismate Theodori, & Paschalis, Ecclesiæ præfuit. Anno Christi 692, Sergio Romano Pontifice, regnante in Oriente Justiniano II, Constantini Pogonati filio, qui deinde Rhinotmetus ab præcisis naribus est nuncupatus, Ecclesia rursùs perturbata est; quin Orientalis, ac præsertim Constantinopolitana, ab Occidentali cœpta discindi. Quinisextum Conciliabulum horum malorum origo, hoc ipso anno ab Orientalibus Constantinopoli coactum, in Trullo, sive sub Cuppula Imperialis palatii. Quoniam Quinta Synodus, & Sexta solis fidei definitionibus intentæ, ad stabiliendam Ecclesiæ disciplinam canones non ediderant, id illi suppleturi, numero ducenti & viginti septem novam hanc Synodum habuerunt, auctore Callinico Constantinopolitano Episcopo. Centum & duo canones, Trullani à loco dicti, ad restaurandam disciplinam, seu veriùs ad ipsam prorsùs evertendam, in ea

Schisma VIII.

*Quæst. 100. ſanciti; * *quos Romana Eccleſia nunquam approbavit*. Semel per hanc Erraticam Synodum (hoc quoque nomine appellari conſuevit) excuſſo Orientales Eccleſiaſtici Cęlibatus jugo, in reliquis etiam deinceps ſunt in deterius prolapſi. Brevia poſt hæc intervalla temporum, quibus vel hæreſi, vel ſchiſmate non fuerint ab Eccleſia Catholica, & orthodoxa diviſi. Anno Chriſti 694 Juſtiniano ob ejus crudelitatem, naſo mutilato, Cherſonam relegato, Leontius Imperio ſuffectus, quo imperante, amiſſa rursùs Africa, ab Saracenis occupata, tenetur adhuc. Leontio mox ejecto, Tiberius Apſimarus regnavit, donec Juſtinianus iterùm Imperium recepit. Hæc inter quod obſequii Orientalis pervicacia Romanæ Eccleſiæ invidet, ab Occidente Batavi, Friſii, Saxones, Dani, aliique finitimi populi, Villebrodi Trajecti, & Suviberti Verdæ Epiſcopi prædicatione ad Chriſti fidem converſi rependunt.

Seculum VIII. Frequentes Octavi Sæculi initio in Apoſtolico ſolio Græci, Exarchorum opera, per ſuæ Gentis Pontifices Quiniſextæ pſeudoſynodi confirmationem ſpectantium. Sed neque ſuffragiorum gratia, neque patrii charitas ſoli eos ab Apoſtolicæ Petræ ſoliditate dimoverunt. Sergius anno hujus Sæculi primo, Pontificatus 14 in Cœlum migravit. JOANNES VI, Græcus, ei ſucceſſit: huic poſt tres annos JOANNES

P. J. 5414. An. Chri. 701.

NES

NES VII, Græcus, Rossanensis. Eo anno tertio mortuo, SISINNIUS, Syrus Antiochenus, viginti dies sedem tenuit, quem CONSTANTINUS, Syrus excepit. Anno Christi 712, Constantino quintum annum regnante, Philippicus, extincto Justiniano, occupato Imperio, inchoata in Oriente viginti ante annis mala adauxit. Numerosissimo Constantinopoli habito Episcoporum conventu, Sexta proscripta Synodo, Monothelitarum hæresim restituit, quam mox rursùs ablegarunt Anastasius II, & Theodosius III, qui brevi tempore post Philippicum imperarunt. Eodem Constantino Pontifice, Saraceni ex Africa proditione Juliani Comitis Hispanias invadentes, cæso Roderico Gotthorum rege, occuparunt anno 713: unde deinde in Gallias irrumpentes, ad Senonas usque, & Pictavium devastarunt, Caroli Martelli Francorum Ducis, & Majoris-Domus virtute inde mox ejecti. Insequente anno Constantinus post sex annos sedis excessit, cui successit GREGORIUS II, Romanus. Anglicanum schisma, quo Scoti, & Britones Pascha Luna decima quarta celebrabant, si in eam Dominica dies incideret, post annos 150 Gregorius extinxit. Theodosio Imperium sponte abdicante, id Leo Isaurus magno Orientis Ecclesiæ damno suscepit. Hic anno Imperii 10, Christi 726, novo monstro in Ecclesiam inve-

invecto, Iconoclastarum Hæresi, crudele bellum sacrarum Imaginum cultoribus indixit. Promulgato adversus eas edicto, ei repugnantes ferro,
P. J. flammis sustulit. Ea fuit DECIMA
5439. An. Chr. SEPTIMA adversus Ecclesiam concitata
726. tata PERSECUTIO. Hanc deinde continuarunt Constantinus ejus filius, à conspurcato, dum baptizabatur, ventris sordibus sacro lavacro cognomento Copronymus, & Leo ex ipso Constantino ejusdem nepos. Annos quatuor, & quadraginta perduravit, modico intervallo Leonis nepotis initio intermissa. Id monstrum Gregorius eodem anno 726 coacta Romæ Synodo anathemate confixit; Imperatoris quoque insaniam quanto potuit studio cohibere laboravit; quo sæpè per suos Exarchos, & Romanos Duces ipsum ad necem perquirente, Romani, & Longobardi conjunctis viribus ab eorum dolis, & insultibus Sanctissimum Pontificem incolumem servarunt.
* Quæst. 101. * *Gregorium Leonis impietatem execratum, Romam, atque Italiam, totùmque Occidentem ab ejus obedientia abstraxisse, Theophanes, Cedrenus, Zonaras falsò scribunt*. Gregorio anno Christi 731, sedis 17 vita functo, GREGORIUS III, Syrus, Pontificatu potitus est. Illo anno 11 mortuo, ZACHARIAS, Græcus, sedit, anno 741, quo Leo Imperator extinctus Constantinum impietatis æquè, ac
* Quæst. 102. Imperii hæredem reliquit. * *Zacha-*

riæ

tiæ auctoritate Francorum proceres; Childerico Merovingiorum rege postremo, ob inertiam exauctorato, & in Monasterium detruso, Pipinum Caroli Martelli filium, Regem dixerunt, anno Christi 752. Hoc ipso anno Zachariam post annos sedis 10. STEPHANUS II, Romanus excepit, quo quarto die extincto, STEPHANUS III, Romanus ei successit. Constantinopoli congregati Constantini jussione 338 Episcopi, in sacrarum imaginum cultores dicto anathemate, earum cultum proscripserunt, anno Christi 754. Hanc pseudosynodum, quam septimam Œcumenicam illi nuncuparunt, damnavit Stephanus; eandem Patriarchæ quoque Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, tum extra Constantini Imperium, & sub dominatu Saracenorum, sunt execrati. Sed impius Imperator sacris debellandis Imaginibus, earumque cultoribus divexandis intentus, Ravennæ interim Exarchatum amisit, ab Aistulfo rege Longobardorum, ejecto Eutichio Exarcho, occupatum. Romanum inde quoq; Ducatum Aistulfo Imperio suo subjicere pergente, Stephanus, Constantino ante per Legatos ad jura, quæ supererant, Romani Imperii, Terrasque, & Oppida Romanæ Ecclesiæ defendenda frustra invitato, adversus Longobardum Pipini auxilium in Gallias ad eum profectus, imploravit. Hoc ipso anno 754 Pipinus, Italiam ingres-

gressus, Aistulsum victum, & Ticini, seu Papiæ, obsessum jurare compulit, cuncta se redditurum, quæ cùm Romanæ Ecclesiæ, tum Imperio eripuerat. Quod deinde cùm fœdifragus non præstaret, quin sequenti anno 755 arcta obsidione Roma cincta, omnia circum loca tam profana, quàm sacra devastaret, Pipinus in Italiam revocatus, ipsum rursùs profligatum, & Ticini inclusum demùm ad pactorum fidem adegit. Qui contra quàm ante in prima adversus Aistulsum expeditione decreverat, Constantino per Legatos frustra repetente, quæ Longobardus Imperio abstulerat, universa unà cum Roma, ejusque Ducatu Apostolicæ sedi addixit, & Romani Pontificis Principatum instituit,
P. J. 5468. An. Chr. 755. hoc ipso anno 755. Stephanus III, primus Pontifex, & Princeps obiit anno Christi 757, Pontificatus 6. Illum excepit PAULUS, ejus frater. Post decem annos eo defuncto, STEPHANUS IV, Siculus, extincto post annum schismate Constantini, & Philippi, regnavit, qui deinde HADRIA-
Schism. IX. NO Romano Pontificatum reliquit, anno 772, sedis 4. Desiderium Aistulfi successorem Hadrianus infestum passus, Carolum Magnum, qui parenti Pipino successerat, in Italiam evocavit. Hic Desiderio Ticini obsesso, & capto, & in Gallias abducto, Longobardorum regnum in Italia evertit, anno Christi 774, cùm annos cir-

circiter ducentos & sex stetisset. Obsidionis tempore Carolum ad celebrandum Pascha Romam profectum honorificè Hadrianus excepit, a quo confirmationem donationis, quam Pipinus ejus pater Romanæ Ecclesiæ fecerat, obtinuit. Post captum Ticinum Romam Carolum esse reversum, * *& ab Hadriano jus eligendi Romanum Pontificem, & Investituram concedendi Episcopis per ejus regnum accepisse, Sigebertus finxit*. Anno Christi 781 Hadrianus Carolum unà cum conjuge, & liberis secundò Romæ suscepit. Pipinum ejusdem majorem natu Longobardorum, sive Italiæ Regem inunxit, & Ludovicum Regem Aquitaniæ. Eundem Carolum anno 787 Hadrianus tertiò Romæ excepit, qui adversus rebellantem Arichisium Beneventanum Ducem, in Italiam advenerat. Quo tempore Carolus non solùm, quæ pater ejus Romanæ Ecclesiæ donaverat, rursùs rata habuit, sed etiam paternam donationem novarum Terrarum, & Principatuum additione adauxit. In Occidente lætissimo Francorum Principum insigni pietate Romanæ Ecclesiæ statu, in Oriente quoque hæc inter Constantini VI, & Irenes matris religio Ecclesiæ pacem, & lætitiam attulit. Leone, Copronymo nato, anno 780 extincto, hujus filius Constantinus, & Irene Mater Imperium nacti proscriptam Catholicam fidem statim revoca-

* Quæst. 101.

carunt. Eandem deinde ut firmiùs ſtabilirent, ad profligandum monſtrum, quod hactenus in Oriente Eccleſiam dilaceraverat, Generalem Synodum * *authoritate Hadriani* indixerunt. Hæc ŒCUMENICA VII SYNODUS, NICÆNA II, hoc eodem anno, Chriſti 787 celebrata. * *Legati Hadriani ei præfuerunt*. In ea condemnata Iconoclaſtarum, ſive Iconomachorum hæreſi, Sacrarum Imaginum cultus confirmatus, & Sanctorum reliquiarum; duoque & viginti canones ad reſtituendam collapſam per Orientem diſciplinam ſanciti. Hadrianus obiit anno 795, ſui Pontificatus 24. LEO III, Romanus ei ſucceſſit, Romani Imperii in Occidente poſt annos fermè 325 reſtitutor. Crudele facinus Hadriani nepotes Paſchalis, & Campulus in Sanctiſſimum Pontificem Leonem ſunt auſi, anno 799 Pontificatum ipſi invidentes., dum Litanias Majores ſeptimo Calendas Maji unà cum Clero, & populo ſolemni ritu celebraret, nefariorum hominum ſtipati manu, procedentem Leonem aggreſſi, oculos ipſi eruerunt, linguam præciderunt, ac demùm multis plagis ſaucium tetrum in carcerem detruſerunt. Sanctiſſimus Pontifex ſequenti nocte priſtina divinitùs recepta ſanitate, in libertatem mox per Vinigiſum Spoleti Ducem vindicatus, ad Carolum ſe contulit. Paderbornæ in Saxonia honorificè ab eo exceptus, pau-

* Quæſt. 104.
* Quæſt. 105.

paulò post amplissimo accepto Francorum Antistitum, & Optimatum comitatu Romam rediit. Sequenti anno 800, idem Carolus, perturbatæ improborum factionibus Romanæ Ecclesiæ consulturus, quartò Romam advenit. Ea verò ab religiosissimo Principe in pristinam severitatem, & dignitatem restituta, Sanctissimus Pontifex, quò Principem de Romana Ecclesia optimè meritum honoraret, atque ad ejusdem defensionem, quam Orientis Imperatores jampridem repudiasse videbantur, summo beneficio obligaret, die Nativitatis Domini in Vaticana Principis Apostolorum Basilica, nihil tale cogitantem * *Romanorum Imperatorem nuncupavit*, coronavit, & inunxit. * Quæst. 106.

Auspicatissimum nono Sæculo dat exordium instauratum in Occidente per Leonem Pontificem Maximum Romanum Imperium. A primo hujus sæculi anno Magni Caroli computatur Imperium. Sed Sæculum, quod Occidenti felix illuxit, idem Orienti infaustum. Altero ejus anno Nicephorus Logotheta, ejecta Irene, Constantinopoli Imperium invasit, homo avarus, perfidus, & impius Iconoclastarum patronus. Is anno 810 studio Dalmatiæ, quam Carolus magnam partem ceperat, recuperandæ, juncto cum Venetis fœdere, bellum ipsi intulit. Tum verò Pippinus Caroli filius, atque Italiæ Rex Venetos aggref-

Sæculum IX.

P. J. 5514. An. Chr. 801.

greſſus, Brundulum, Clodiam, ac reliqua circùm ſtagnantia loca cum Metamauco brevi temporis ſpatio in ſuam redegit poteſtatem. Sed dum Rivoaltum, atque Olivolam pertentat, ejus Claſſe ab hoſte ſtrategemate in brevia deducta, eodem tempore mari recedente, demùm illa immobili quaſi in ſicco hærente, Franci à Venetis, levibus delatis navigiis, undique circumventi ingenti ſunt ſtrage cæſi. Ejus cladis dolore Pippinus Mediolanum deinde reverſus, paulò poſt obiiſſe fertur. Hanc Venetorum inſignem victoriam pax excepit. Ea, Magno Carolo petente, licèt Nicephorus aſſumpti ab ipſo Carolo Imperatorii nominis invidia laboraret, eſt compoſita, Carolo Occidentis ab Nicephoro agnito Imperatore, & Veneta Republica in illo libertatis Jure, quod ab ipſis incunabilis acceperat, permanente. Poſt Nicephorum, à Stauratio filio, quem Pater Imperii collegam aſſumpſerat, monaſtico ſuſcepto habitu, biennium circiter imperavit Michael Curopalata, cognomento Rhangabenus Catholicus Princeps: hunc Leo Armenus excepit, qui ſacrilego bello adverſus ſacras Imagines renovato, DECIMAM OCTAVAM in
P. J. 5527. An. Chr. 814. Eccleſiam PERSECUTIONEM excitavit, anno Chriſti 814; quo Carolo Imperatore vità functo, Ludovicus filius cognomine Pius imperavit. Poſt Leonem Michael Balbus, qui ei ſucceſſit,

cessit, & hujus filius Theophilus Persecutionem continuarunt. Annos octo & viginti tenuit. Leone anno Christi 816, Pontificatus 21 in Cœlum evocato, STEPHANUS V, Romanus, ejus in locum est substitutus. Post 7 menses ei suffectus PASCHALIS, Romanus; cui post annos 7 EUGENIUS II, Romanus, Zinzini duodecimo schismate represso, successit. Eugenium quarto anno sedis VALENTINUS, Romanus; 40 dies excepit: hunc GREGORIUS IV, Romanus, anno 827; quo Euphemii Ducis perfidia Saraceni Sicilia sunt potiti, qui deinde Calabriam, Apuliam, atque alias Italiæ partes occuparunt. Iidem ante annos amplius centum Sardiniam invaserant. Anno 840 mortuo Ludovico Imperatore, filii, Lotharius natu major Italiæ regnum, Orientalem Franciam, & Imperium obtinuit; Carolus cognomine Calvus Franciam Occidentalem; Germaniam verò Ludovicus. In Oriente Theophilo extincto, Theodora Augusta, sanctissima fœmina loco Michaelis filii pueri, cognomento Porphyrogeniti, Imperii suscepta administratione, cùm Catholicorum persecutionem, tum Iconoclastarum hæresim penitùs extinxit, anno Christi 842. Insequente anno Gregorio, cum annos 16 sedisset, in Cœlum sublato, SERGIUS, II, Romanus, pulso Joanne sedis invasore, electus. Hunc ante Pontificatum *Os-*

Schism. X.

porci fuiſſe appellatum, ac primum Pontificum nomen tanto Sacerdotio indecens mutaſſe, Martinus Polonus primus fabulam tradidit. Sergius poſt tres annos ſucceſſorem habuit LEONEM IV, Romanum. Hujus ſanctitatem inſignia miracula comprobarunt. Baſiliſcum, halitu ſuo, & aſpectu omnes interimentem, qui ad cavernas, ubi in ipſa Urbe latitabat, appropinquarent, ſuis precibus ſuſtulit, & magnum incendium in Urbe exortum ſigno Crucis extinxit. A Saracenis direpta ſæpe, & incenſa Vaticana Baſilica S. Petri idem Leo Vaticanum collem muro cinxit, & veteri Romanæ Urbi novam addidit, quam Leoninam de ſuo nomine dixit. Anno Chriſti 855 Leo poſt annos ſedis

* Quæſt. 107. 9 in Cœlum eſt translatus. * *Huic Joannam Papiſſam Mariani Scoti ineptiſſima fabula ſufficit*. Poſt Leonem BENEDICTUS III, Romanus Ana-

Schiſm. XI. ſtaſio ſchiſma abdicante, Pontificatum obtinuit. Hoc eodem anno Lotharius monaſtico aſſumpto habitu Ludovico II filio Imperium reliquit. Benedicto anno 858, ſedis 3, defuncto NICOLAUS Romanus, ſucceſſit. Hoc ipſo anno in Oriente turbæ, quàm unquam antea, majores Eccleſiam exagitare cœperunt. Harum auctor Bardas Theodoræ Auguſtæ frater, cui Michael, in monaſterium ejuſdem conſilio detruſa matre, Imperii adminiſtrationem commiſerat. Hic homo impu-

puriſſimus ob ſtupri cum ſua Nuru conſuetudinem à S. Ignatio Conſtantinopolis Patriarcha, fidelium communione privatus , eodem prætenta adverſus Imperatorem conſpiratione ſede ejecto, Photium laicum , & aulicum in eam intruſit, eximii quidem ingenii hominem, ſed ambitionis , & malitiæ perditiſſimæ . Hunc Gregorius Syracuſanus , ab Ignatio ob inſignia crimina antea in concilio damnatus , & depoſitus, quam poſtea Ignatii ſententiam Benedictus Papa confirmaverat , Conſtantinopolitanum Epiſcopum conſecravit; qui fons eſt , & origo graviſſimarum , quibus deinceps Eccleſia Dei eſt conflictata , calamitatum . Photius Patriarchici throni invaſor mox coacto Conſtantinopoli conciliabulo Ignatium damnavit. Damnatus deinde ipſe in Romana Synodo ab Nicolao Pontifice , viciſſim in Nicolaum anno Chriſti 867, nova pſeudoſynodo Conſtantinopoli congregata, damnationis ſententiam auſus eſt dicere . Verùm hoc ipſo anno Baſilius Macedo, Michaele unà cum Barda extincto , Imperium adeptus , impio Photio ejecto, Ignatium reſtituit. Nicolaum hoc eodem anno, ſedis ejus 10, vita functum HADRIANUS II, Romanus , in Pontificiam ſedem eſt evectus. Inſequente anno Hadrianus Romæ celebrata Synodo Photium rurſus diris devovit,ejuſque pſeudoſynodorum acta. Perturbatæ deinde Photiana nequitia

H 2 Orien-

Orientis Ecclesiæ prospexit per Generalem Synodum, quam in Orientem missis Legatis, datisque Basilio, atque Ignatio literis ea de causa Con-
* Quæst. 108. stantinopoli cogi * *præcepit*. Ea OE-
CUMENICA VIII SYNODUS,
P. J. CONSTANTINOPOLITANA IV,
5582. & ORIENTALIS ULTIMA. Po-
An. Chr. 869. stero anno 869 celebrata est. * *Ei*
* Quæst. 109. *præfuerunt Hadriani Legati*. Confirmata in ea Ignatii restitutione, Episcopi, Presbyteri, cæterique cum Photio lapsi, oblatis pœnitentiæ libellis, in communionem recepti. Damnatis iterum, & combustis Photii scriptis, ejusque conciliabulorum actis, idem Photius pertinaciter perstans in perfidia, tertio anathemate perculsus, & relegatus. Demum septem & viginti canones ad instaurandam Constantinopolitanæ præsertim Ecclesiæ disciplinam constituti. Hanc deinde Synodum Hadrianus confirma-
* Quęst. 110. vit, * *atque Ecclesia, ut verè Oecumenicam, perpetuò recepit*. Obiit Hadrianus anno 5 sedis, cui JOANNES VIII, Romanus suffectus. Anno Christi 875 mortuo Ludovico Imperatore, Joannes Carolum Calvũ, Ludovici Pii filium, Franciæ regem Romam accitum, Italiæ regem, & Imperatorem coronavit. Huic deinde Ludovicus III, filius successit, a linguæ impedimento Balbus nuncupatus, quem Carolus Crassus, filius Ludovici, Germaniæ Regis, Ludovico Pio nati, & fratris Ca-

Caroli Calvi, excepit. Hæc inter Constantinopoli Ignatio defuncto, turbæ in Oriente sunt renovatæ anno 878. Eas Photius, quem Basilius ejus adulationibus, & Theodori Santabareni Monachi, & Abbatis, magi præstigiis illusus in pristinam sedem restituit, instauravit. Mox hic recepta sede Ignatii amicos, atque omnes ejus communionem aversantes carceribus, exiliis afflixit, plurimos etiam peremit. Hæc mala deinde incrementum accepere. Insequente anno Joannes Pontifex de confirmandi Photii restitutione a Basilio Imperatore per Legatos vehementer rogatus, ac mendaciis deceptus, ea de re Constantinopolim Legatos misit, cum literis ad eundem Imperatorem, & ad ipsum Photium, Clerumque Constantinopolitanum, & Patriarchas Orientis, atque ad omnes Photii communionem aversantes, quibus Photium catholica communione impertire, significabat, & Patriarchatui restituere, cùm quibusdam conditionibus satisfecisset. Inter alia ut Photius coram congregata Constantinopoli Synodo veniam deprecaretur, Joannes præcipiebat. Summi Pontificis literas, prætextu eas vertendi in linguam Græcam, Photius ab Legatis postulavit, quas illi imprudentes, & ignavi ipsi tradiderunt. Photius Joannis acceptas literas pro arbitrio truncavit, immutavit, interpolavit. Delevit inter cætera perdi-

tus impostor conditionem sibi impositam de venia coram Synodo deprecanda, & addidit improbationem, ac rescissionem Octavæ Synodi ante decem annos Constantinopoli contra ipsum celebratæ. Tum, congregata Constantinopoli Synodo 383 Episcoporum, cui Vicarii quoque Orientalium Patriarcharum interfuerunt, Photio ipso ex reo Synodi Præside, idem in Constantinopolitana Sede ab ea est confirmatus; Octava reprobata Synodus; Anathemate perculsi, qui cum Photio communicare recusarent; Adversus appellationes Orientalium ad Romanam Sedem statutum, ut Episcopi, Clerici, vel Laici a Romano Pontifice depositi, vel Excommunicati, a Photio quoque tales haberentur, & vicissim a Photio depositi, vel Anathematizati, a Joanne; In Explosionem verbi *Filioque* ad Symbolum quidpiam addentes censura notati; Denique ea ipsa Synodus, ne hiscentibus quidem ad tam indigna Joannis Legatis, Oecumenica VIII Synodus proclamata. Hæc Orientalem Ecclesiam in extremam propemodum traxit ruinam. Id fatalis totius Orientis Schismatis exordium. Hodiernos Græculos Oecumenicæ Octavæ Synodi nomine eam prædicare non pudet. Compertis sequenti anno Joannes Photii fraudibus, hanc Pseudosynodum damnavit, ipsumque Photium diris devovit. Exactis Joannes in Pontificatu an-

nis

nis 10 decessit, anno Christi 882. Nimiam ejus in restituendo Photio facilitatem Joannæ Papissæ fabulæ locum fecisse, Eminentissimus Cardinalis Baronius opinatur. Inde nimirum deinde non Papam, ut Nicolaum, & Hadrianum, ejus decessores, qui constantissimè Photio restiterant, fuisse appellatum, sed Papissam; indignumque Viri nomine habitum, qui a Semiviro, Photio Eunucho, fuisset superatus; idque contumeliæ nomen posteris rerum insciis transisse in veritatis opinionem; jactatamque vulgò fuisse de Joanna Papissa fabulam. MARINUS, Thuscus, Galesianus, Joanni successit, qui statim Photianam Synodum, unà cum eodem Photio anathemate rursus perculit. Post annum, illum excepit HADRIANUS III, Romanus. Photium Hic quoque damnavit, ejusque latrocinalem Synodum. Hadriano altero sedis anno defuncto, STEPHANUS VI, Romanus, Ecclesiæ præfectus est. Eo Pontifice, anno Christi 886, mortuo Basilio, Leo filius, cognomento sapiens, sive Philosophus, suscepto Imperio, impio Photio ejecto, & relegato, in Constantinopolitanam sedem Stephano fratre evecto, inductum per Photianam Pseudosynodum Orientis Ecclesię schisma extinxit. Hæc deinceps Ecclesiarum Orientis, & Occidentis unio adusque Michaelem Cerularium, quem Constantinus Monomachus anno Chri-

sti millesimo quadragesimo tertio in Sedem Constantinopolitanam evexit, in sacris Diptychis Romani Pontificis nomine retento, perduravit. Post sex annos sedis Stephano defuncto, FORMOSUS, Portuensis civis, & Episcopus, ei successit, contra quem
Schism. XII. Sergius Schisma fecit. Primus Formosus ex Episcopo Romanus creatus Pontifex. Hæc inter, Carolo Crasso vita functo, Formosus, Vidone Spoleti Duce Imperatore Coronato, & Lamberto ejus filio, Romanum Imperium Francis, & Germanis ereptum in Italos transtulit, anno 892, qui mox coactus est Arnulphum quoque Germaniæ Regem, nothum Carolomanni fratris Caroli Crassi, coronare, ex magni Caroli stirpe Imperatorem postremum. Diu post hæc Imperium nutavit, illud Germanis, Francis, Italis sibi vendicantibus. Obiit Formosus sextum Pontificatus annum agens, anno 896. Illo mortuo Bonifacius, homo nefarius, bis gradu depositus, a Diaconatu primùm, inde a Presbyteratu, Apostolicam Sedem invasit, tenuitque dies quindecim, dictus Bonifacius VI, sed inter Pontifices non numerandus. Hunc expulit STEPHANUS VII, Anagninus, novus Sedis invasor, sed mox, accedente Ecclesiæ consensu, legitimus Pontifex; qui anno Christi 900, tribus post annis sede pulsus, in carcerem detrusus, ibi strangulatus, execrandi facinoris,
&

& sacrilegii in Formosi Sanctissimi Pontificis corpus, instigante Sergio contra ipsum quondam Antipapa, perpetrati pœnas dedit. ROMANUS, Galesianus, qui adversus Stephanum intrusus decimum tertium in Ecclesia Schisma conflavit, a Clero deinde approbatus, sedem aliquot menses tenuit. Hoc ipso anno, extinctis superiori Vidone, & Arnulpho, Berengarius Dux Forojulii, & Ludovicus filius Bosonis Regis Burgundiæ, & Provinciæ, ac fratris Richildis uxoris Caroli Calvi, novi æmuli de Imperio decertarunt: sed, victo Berengario, Ludovicus, hujus nominis IV, illud obtinuit. Schism. XIII.

Decimo Sæculo indignissimas Ecclesia in occidente maculas non modò in præstantioribus membris, sed etiam in capite ipso passa est. Eas illi aspersit post Formosi obitum invecta Romam Tyrannica potentia Marchionum Thusciæ, & Procerum Romanorum, qui sibi invicem infamem invidebant gloriam Apostolicæ Sedis, intrusis certatim in eam, quæ mallent, Pontificum Monstris, conspurcandæ. Quibus infelicissimis Romanæ Ecclesiæ temporibus, nullus tamen supremo ejus Throno insedit, qui Catholica Fide non sibi constiterit, virtute divinæ promissionis, qua nunquam adversus eam portæ inferi prævalebunt. Sacrilegis illis Tyrannis extinctis, ejusdem deinde Romanæ Ecclesiæ captivitatem Othones Sæculum X.

Imperatores, eadem sibi usurpata Romanorum Pontificum electione, continuarunt. Post Romanum THEODORUS II. Romanus, 20 dies sedit.
P. J. 5614. JOANNES IX. Tiburtinus post ipsum
An. Chri. 901. regnavit. Compulsus Joannes a Berengario, qui captum Ludovicum oculis, & Imperio privavit, ipsum coronare Imperatorem, mox, congregata Romæ Synodo, ejusdem, ac Lamberti Vidonis filii, quem Formosus antea coronaverat, examinatis juribus, Berengarii abrogata coronatione, Lamberto Imperium adjudicavit. In eadem Synodo, rescissis Stephani gestis, acta Formosi, quæ pariter idem Stephanus damnaverat, ejusque memoriam honorificè restituit. Romanum quoque Stephani acta esse execratum Platina tradit; idque ipsum Theodorum præstitisse, Auxilius, & Sigebertus referunt. Post tres annos sedis Joanni successit BENEDICTUS IV, Romanus: menses duntaxat aliquot sedem Apostolicam
Schism. XIV. tenuit. LEO V, Ardeatinus, ei suffectus, quem post 40 dies Christophorus in carcerem detrusit. Idem deinde CHRISTOPHORUS, Romanus, aliquot menses sedit, quem Sergius ejecit, & habitum monasticum indue-
Schis. XV. re compulit. SERGIUS III, Romanus, invasor primùm, inde, a Clero approbatus, legitimus Pontifex, coacta mox Romæ Synodo, acta Formosi, in cujus cadaver Stephanus VII, eo impellente, sævierat, ac ge-

sta

sta abrogaverat, rursùs rescidit, & Anathemate perculit eos, qui a Formoso ordinati sacra ministeria obirent. Post tres annos, Sergio extincto, ANASTASIUS III, Romanus, creatus est. Huic anno tertio sedis suffectus est LANDUS, Sabinus, quo post aliquot menses vita functo, JOANNES X. Romanus, Ravennas Episcopus electus anno 912. Constantinopoli anno superiore mortuo Leone, filius Constantinus, Porphyrogenitus, imperavit, qui mox Imperii collegam Romanum Lecapenum assumpsit. In Occidente quoque, extincto hæc inter Lamberto, Joannes novum Augustum Berengarium rursùs coronavit; quo anno Christi 924 Veronæ ab suis perempto, in Italia Imperium desiit; Italiæ deinde Regno Rodulphus primùm Rex Burgundiæ, indè Hugo Provinciæ comes, mox hujus filius Lotharius, demùm Berengarius II, Eporediensis Marchio, & Berengarii Imperatoris ex Ghisela matre, ejusdem filia, nepos, potiti sunt adusque annum 962, quo Italiæ Principatus in Vidone Spoleti duce ante annos 70 inceptus, est terminatus, Berengario II a magno Othone, in quo interruptum per annos octo & triginta Imperium est redintegratum, ob ejus Tyrannidem Italiæ Regno spoliato, & in Bavariam abducto. Joannes Maroziæ opera carceri traditus, mox ibi extinctus est anno Chri-

sti 928, sedis 16. LEO VI, Romanus, ejus successor, post sex menses in carcerem pariter detrusus periit. STEPHANUS VIII, Romanus, qui ei successit, post biennium excessit. JOANNES XI, Sergii III ex Marozia filius, post ipsum, opera Matris, Pontifex est constitutus, tertio & vigesimo anno vix expleto. Joannem anno, sedis LEO VII, Romanus, excepit; hunc anno quarto STEPHANUS IX, Germanus, cui anno 4 MARINUS II, Romanus, suffectus. Marino anno pariter quarto sedis vita functo, AGAPETUS II, Romanus, Pontificatum cępit. Mortuo Agapeto anno Christi 955, sedis 10, Octavianus, filius Alberici, quem Marozia ex Alberico Marchione Thusciæ genuerat, vix octodecim annos natus, Apostolicam sedem invasit. Hic primus nomen mutavit, qui in gratiam patrui Joannis undecimi, JOANNES vocari voluit hujus nominis XII. Anno Christi 960, adversùs Berengarii Italiæ Regis Tyrannidem, Othonem Saxoniæ Ducem, & Germaniæ regem, ob res præclarè gestas Magnum nuncupatum, Imperii Coronam pollicitus, in Italiam evocavit. Hic filius Henrici Aucupis Ducis Saxoniæ, qui post Conradum successorem Ludovici, Arnulphi Imperatoris filii, in Germania regnavit. Hoc eodem anno Constantinopoli Romanus, diuturnioris Imperii Constantini Patris pertæsus, eodem veneno sub-

ſublato, regnavit, quem paulo poſt Nicephorus Phocas excepit: hunc verò deinde Joannes Zemiſces; quo extincto, Baſilius II, & Conſtantinus VIII. fratres, filii Romani, Imperium, quo Nicephorus eos ſpoliaverat, recuperarunt. Anno Chriſti 962 Joannes Papa Othonem honorificè Romæ ſuſceptum Imperatorem coronavit, accepta priùs fide, reſtituturum Eccleſiæ bona, quæ Tyranni ſibi uſurpaverant, ac defenſurum Romanam Eccleſiam; cui viciſſim Pontifex adverſus Berengarium, & Adelbertum ejus filium, Sacramento ſe obſtrinxit. Verùm, cunctante Imperatore promiſſa exſolvere, ſequenti anno Joannes Romam Adelbertum accivit. Quam ob rem Otho Romam reverſus, utroque Urbe fuga elapſo, Epiſcoporum habito conventu, Joanne abdicato, in Apoſtolicam ſedem * *Pſeudopapam Leonem intruſit*, hujus nominis VIII falsò nuncupatum. Hunc, anno poſtero, Joannes, abſente Othone, Romam reverſus, urbe expulit, &, nova congregata Synodo, conciliabuli Imperatoris acta reſcidit. Quo hoc ipſo anno, cùm ſediſſet annos 9, defuncto, BENEDICTUS V, electus eſt. Cujus creatione audita, Otho, quoniam Romani ante jurarant, nullum ſe, abſque ejus, & Filii Othonis regis Germaniæ conſenſu, Pontificem electuros, Romam reverſus, poſt aliquot hebdomadarum obſidionem, ea

*Quæſt. III. Schiſm. XVI.

ſe

ſe dedente, novo coacto conciliabulo, Benedicto depoſito, Leonem rursùs intruſit. * *Ea Pſeudoſynodo falsò fertur edita conſtitutio, qua Antipapa Leo Othoni Imperatori, ejuſque ſucceſſoribus conceſſerit in perpetuum facultatem eligendi Romanum Pontificem, & inveſtituras Epiſcopis tribuendi*. Poſt hæc, expugnato Otho Caſtello S. Leonis in Umbria, quò Berengarius ſe receperat, eumdem captum in Bavariam relegavit. Proximo anno 965, Germaniam Imperator repetens, Benedictum Pontificem ſecum abduxit, qui Adaldago Hamburgi in Holſatia Archiepiſcopo cuſtodiendus traditus, hoc eodem anno ſanctiſſimè obiit. Quo ipſo anno, invaſore Leone extincto JOANNES XIII., Romanus, Pontifex creatus eſt. Sed hoc eodem anno Mieziſlaus Dux Sarmatarum, qui nunc Poloni, relicto Idolorum cultu, Chriſtianam fidem unà cum ejus populo amplexus eſt opera uxoris Dambrovuchæ filiæ Boleslai primi Boemorum Ducis, cui illa nupſerat ea lege, ut Chriſtianus fieret. Joannes, ipſo ſedis initio, malè habitis quibuſdam Romanorum Proceribus, a Rotfredo Urbis Præfecto Roma pulſus, in Campaniam amandatus eſt. Quamobrem, ſequenti anno 966, adveniente rursùs in Italiam Imperatore, Romani eumdem revocarunt. Joannes uſum benedicendi Campanas induxit, conſecrata ab eo primùm Campana Lateranen-

* Quæſt. 112.

fis Ecclesiæ, quam etiam Joannis nomine, cujus Ecclesiæ erat usui futura, nuncupavit. Accitum ab Imperatore in Italiam Othonem filium, Germaniæ Regem, idem Joannes, postero anno 967, Imperatorem coronavit. Post sex annos sedis Joanne vita functo, DONUS II, Romanus in Apostolicam sedem est evectus anno 972. Post tres menses ei successit BENEDICTUS VI. Romanus. Anno sequenti, Othone Imperatore defuncto, Otho II. ejus filius, solus imperavit. Conflato, postero anno 974, Bonifacius, cognomento *Franco*, decimo septimo Schismate, Benedictum in carcerem detrusum strangulavit, & sedem deinde anno amplius occupavit, dictus Bonifacius VII, sed Romanis Pontificibus haud adnumerandus. Eo demum pulso, BENEDICTUS VII, Romanus, electus est anno Christi 975. Post novem annos JOANNES XIV, eum excepit, anno 984, qui, sequenti anno, Bonifacio Constantinopoli, quò, necato Benedicto, expilata Vaticana Basilica, fugerat, Romam reverso, sedem Apostolicam rursum invadente, in carcerem trusus, fame perire compulsus est. Sacrilego invasore pauló post repentina morte divinitus percusso, JOANNES XV, Romanus, creatus Pontifex est. Anno Christi 987, alterum annum Ecclesiam Joanne moderante, Ludovico V Francorum Rege sine liberis de-

Schism. XVII.

defuncto, Carolina stirps extincta est. In ejus locum Hugo Capetus, Dux Parisiensis surrogatus, qui tertiæ Francorum Regum familiæ Capetingiæ, quæ hodie gloriose regnat, exordium, & nomen dedit. Vexatus Joannes Crescentii Numentani tyrannide, qui titulo Consulatus Castrum S. Angeli invaserat, Othonis III, qui parenti defuncto in Germaniæ regnum successerat, auxilium imploravit, anno Christi 996. Quo ipso anno pauld post Othonis in Italiam adventum idem Joannes, post decem sedis annos decessit. GREGORIUS V, Saxo, Othonis propinquus, eodem curante, ei suffectus, contra quem Joannes, Episcopus Placentinus, Crescentii opera, Schisma fecit, Joannes XVI, vel XVII falsò nuncupatus; quem mox Otho Romam adveniens, captum manibus, auribus, oculisque privavit, Crescentio deinde capite truncato. Othone Gregorius pauld post Imperatore coronato, eodem deinde suadente, ne, post ejus obitum, cum nullum ipse haberet filium, nec se habiturum speraret, intestinis bellis Imperium dilaceraretur, collecta Romæ Synodo, * *Germaniæ Principes universos Ecclesiasticos, & sæculares, Electores Imperii instituit*, facta ipsis potestate per publica Comitia eligendi Imperatorem, sive Germanorum, aut Romanorum Regem, qui, post acceptum a Romano Pontifice diadema, Imperator, & Augustus diceretur.

Schism. XVIII.

* Quæst. 113.

Ni-

Nimirùm Romanus Pontifex, qui anteà collapſo Romano Imperio in Occidente reſtituendo firmum Romanæ Eccleſiæ præſidium quæſiverat, Germaniæ nunc Proceribus Electorali dignitate decorandis, Chriſtiani nominis robur eidem arctiùs obſtringere voluit. Poſterioribus deinde ſæculis Innocentius IV. in Lugdunenſi Concilio anno 1245 ad ſeptenarium numerum eos redegit. Gregorius anno Chriſti 999, Pontificatus 3 regnare deſiit, cui SILVESTER II, Gallus, ſuffectus.

Undecimum quoque Eccleſiæ ſæculum ſimoniaca labes, & Presbyterorum, reliquorumque clericorum vulgò conjugia infecerunt. Nimirum collapſa in Patribus Eccleſiaſtica diſciplina, nec in filiis conſtitit. Obiit Silveſter anno Chriſti 1003, Pontificatus 5. Superiore anno, Othone vita functo, Henricus Dux Bavariæ primus, cum jure ad Imperium, Germanorum, ſive Romanorum Rex a Germaniæ Principibus ſalutatus eſt, cui Chriſtiana pietas *Sancti* nomen peperit. Hujus ſororem Gislam S. Stephanus Hungariæ Rex habuit uxorem, qui, Chriſtiana Religione, quam primus Hungarorum Principum ejus Pater Geiſa fuerat amplexus, mirificè propagata, Hungarorum Apoſtolus meruit appellari. Silveſtro JOANNES XVI, falsò dictus XVIII, binis hujus nominis Antipapis inter Romanos Pontifices a nonnullis recenſitis, Romanus,

Sæculum XI.

P. J. 5706. Ann. Chr. 1003.

nus, cognomento *Siccus*, successit; quem post quinque menses, JOANNES XVII. vulgò nuncupatus XIX, Romanus, cognomine *Fasanus*, excepit. Hoc tempore per Orbem ubique Ecclesiæ innovari cęptæ, millesimo mundi anno jam elapso, quo adventurus Antichristus credebatur, & non longo post tempore, mundi interitus, & universale Judicium. Mortuo Joanne anno sedis 6 SERGIUS IV, Romanus, in locum ejus suffectus. Hunc anno Christi 1013, sedis ejus 3, BENEDICTUS VIII. excepit, Romanus, & comes Tusculanus, qui, a
Schism. XIX. Gregorio sede invasa, Roma pulsus, in Germaniam ad Henricum fugiens, sequenti anno, Rege in Italiam adveniente, est restitutus, quem Imperatorem coronavit. Benedicto, cùm sedisset annos 12, demortuo, JOANNES XVIII. ejus frater, Pontificatum pecunia emit anno 1024; quo ipso anno, in cęlum sublato S. Henrico Imperatore, Conradus, Franconiæ Dux, Germaniæ Rex electus, post biennium Romam veniens, ab eodem Joanne Imperii Coronam accepit. In Oriente, defuncto Basilio, ac mox Constantino fratre anno 1028, Romanus II. Imperium compessivit. Huic deinde successit Michael Paphlagon, quem excepit Michael Calephate, quo paulò post ejecto, Constantinus IX. Monomachus imperavit. Post ipsum Theodora filia Constantini cum fratre Basilio hujus nomi-

minis III, regnavit. Theodoræ successit Michael Stratonicus, quo coacto Isaacio Comneno Imperium cedere, hic mox, sponte monastico assumpto habitu, Constantino Ducæ illud reliquit, anno Christi 1059. Extincto Joanne anno Christi 1033, sedis 10, BENEDICTUS IX, decem annorum puer, factione patris Alberici, comitis Tusculani, & pecunia in sedem Apostolicam est intrusus, quem Clerus, ut Schisma vitaret, confirmavit. Post mortem Miezislai II, Poloniæ Ducis, quorumdam rebellium Principum factione, Casimiro ejus filio unà cum matre pulso, Polonorum rebus internis bellis, & externis afflictis, ac penè desperatis, periclitanti Reipublicæ Benedictus ut succurreret, rogantibus Polonis, Casimirum, qui interim monasticam vitam apud Cluniacenses in Gallia fuerat professus, & Diaconus initiatus, * *Monasticæ Professionis vinculis solutum* Regnum repetere permisit & uxorem ducere anno Christi 1041. Horrendum Romanam Ecclesiam contigit Schisma pati anno 1044. Duæ potentissimæ factiones hisce temporibus in Urbe pacem perturbabant; una erat Tusculanorum Comitum, altera Ptolemæi Romani civis. Romani turpem Benedicti vitam pertæsi, Ptolemæi favore adjuti, contra Tusculanorum comitum potentiam, ejecto Benedicto, Joannem Sabinensem Episcorum, quem Silvestrum III, nomi-

* Quæst. 114.

Schism. XX.

minarunt, in sedem intruserunt. Hunc mox Benedictus expulit, sed invisus omnibus, paulò post Joanni Romanæ Ecclesiæ Archipresbytero Pontificatum remisit; quem deinde eodem Benedicto mutato repetente, tum tres Antipontifices Romæ sedere, divisis inter se Ecclesiæ reditibus, visi sunt, Unus ad S. Petrum, Alter ad S. Mariam Majorem, Tertius, nempe Benedictus in Palatio Lateranensi. Schisma demùm extinxit Gratianus religiosus Presbyter, qui cessionem Pseudopontificibus, certis ipsis, ad redimendam Ecclesiæ pacem, assignatis Apostolicæ sedis reditibus, persuasit. Sublato Schismate, eundem Gratianum, tanquam Ecclesiæ Liberatorem in summum Pontificem Clerus elegit; qui nomen sibi sumpsit
* Quæst. 115. GREGORIUS VI. * *Hic legitimus Pontifex* sedit ampliùs biennium. In Sutrina Synodo, quam Henricus II, qui Conrado Patri in Germaniæ Regnum successerat, in Italiam adveniens in causa Antipontificum convocari curaverat, anno Christi 1046 Pontificatu, ne novum schisma conflaretur, in gratiam Henrici, qui, ipso inconsulto, Gregorium fuisse electum ægrè ferebat, ipsa Synodo ejusdem electionem, veluti Simoniacam, improbante, sponte se abdicavit. CLEMENS II, Saxo, invictus ei suffectus est, qui Henricum Imperatorem coronavit. Post novem menses eo defuncto, Benedictus IX tertiò sedem invadens,

octo

octo menses occupavit. Eo deinde pulso, DAMASUS II, Bavarus, in Apostolicam sedem, Henrico curante, est evectus. Vigesimo tertio die Damaso extincto, LEO VIII, comes Dapsburgensis, ejusdem Imperatoris opera, dùm Benedictus sedem rursùs occupare niteretur, Romanus Pontifex creatus est. Anno Christi 1054, Leone sextum annum regnante, Michael Cerularius, Constantinopolitanus Patriarcha, cùm multa in Latinam Ecclesiam effutiret, in primis, quòd Latini judaizarent Azyma consecrantes, quòd suffocata, & immundorum animalium comederent carnes, barbas raderent, sabbathis jejunarent, & quòd addita sacro Symbolo particula *Filioque* male de Spiritu Sancto sentirent, a Leonis legatis, quos hac de causa Constantinopolim hoc ipso anno misit, multorum convictus errorum, excommunicatus, Photianum Schisma, e sacris tabulis Romani Pontificis nomine deleto, restituit. Quid alii Orientis Patriarchæ egerint, incertum. Græcorum nihilominus plerique hoc sæculo, & duodecimo cum Latina Ecclesia communicarunt. Leoni post quinque annos sedis, VICTOR II. Bavarus successit: huic anno 3, STEPHANUS X, Thuscus, quo post septem menses mortuo, Joannes Mincius sive Tusculanorum comitum favore, sive Ptolemæorum, vel Gregoriorum, aut Crescentiorum, sedem menses ampliùs novem in-

va-

Schisma XXI. vasit. Stephano NICOLAUS II. Sabaudus, contra invasorem suffectus. Hoc ipso anno, congregata Nicolaus Romæ Synodo, ut frequentia schismata extingueret, in ea statuit, ut Cardinales deinceps Romanum Pontificem eligerent ex Romanæ Ecclesiæ gremio, si reperiretur idoneus, accedente reliqui Cleri consensu; quam ob rem deinde Cardinalium dignitas magno in honore, & æstimatione esse cępit. Henrico quoque III. qui post patris obitum Rex Germanorum fuerat electus, ejus præsertim ope Joanne sedis invasore expulso, privilegium circa Romani Pontificis electionem ejusdem patri antea ab Apostolica sede concessum, confirmavit, nimirum, ut absq; ipsius assensu Romani Pontificis electio rata non esset, idemque illum eligeret, nomine tamen Romani Cleri, quando exortæ Romæ turbæ id fieri ab eo non sinerent. Quo privilegio his temporibus ad Ecclesiæ ædificationem Imperatoribus collato, Iidem deinde ad ejusdem destructionem abutentes, eodem privari meruerunt. Berengarii præterea Turonensis, & Archidiaconi Andegavensis hæresim, qua Hæresiarcha realitatem Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Eucharisticis negabat, ante sępe damnatam, rursus anathemate confixit, eundemque Berengarium, relapsum, eam iterum ejurare compulit. Varia deinde edidit decreta, & canones, quibus Simonia-

ca

ca præsertim labe extincta, & clericorum incontinentia, Ecclesiasticam disciplinam restitueret. Normanni ex Gallia profecti per hæc tempora in Campania, Apulia, & Calabria dominabantur ejectis Græcis, & Saracenis, qui Romanæ Ecclesiæ eas provincias eripuerant. Hoc eodem anno Nicolaus has provincias Richardo, & Roberto Guiscardo, Normannorum Principibus in feudum concessit: Richardo tradito Capuano principatu, Robertum Apuliæ Calabriæ, & Siciliæ Ducem nuncupavit. Mortuo Nicolao anno 1061 Pontificatus 4. ALEXANDER II, Mediolanensis suffectus est, contra quem Cadalous Palavicinus Parmensis Episcopus vigesimum secundum Schisma fecit. Regnante Alexandro, Schisma XXII. Constantinopoli defuncto Constantino Duca, Romanus Diogenes imperavit: huic Michael Duca successit, Cōstantini Ducæ Filius, cognomento Parapinacius. Hoc deinde ejecto, Nicephorus Botoniates Imperium occupavit; mox eodem pulso, Alexius Comnenus. Alexandro anno 1073, sedis 12 ad meliorem vitam translato, GREGORIUS VII, Thuscus, Saonensis in Pontificiam sedem * *legitima electione* est evectus. * Quæst. 116. Frequentia ejus pro instauranda Ecclesiæ disciplina Concilia. Invictissimus verò ejus animus adversus pertinacem Henrici electi Imperatoris nequitiam. Hunc Apostolicis spretis admonitionibus, Episcopos, & Abbates pro sua

au-

auctoritate, ac quàm sæpissime pretio, per vulgò dictam Investituram constituentem semel, & iterum Regno deposuit, & anathemate perculit. Qui regum nequissimus Brixinone coacto conciliabulo, Gregorio abdicato, Guibertum Ravennatem Archiepiscopum anathemate ab eodem Gregorio ante damnatum, Antipapam adversus eum erexit, anno Christi 1080. Quo ipso anno, prælio victo, & extincto, Rodulpho Sveviæ Duce loco ejus a Principibus rege Germaniæ constituto, cui Hermannum Ducem Lotharingiæ suffecerunt, paulo post defunctum, Italiam deinde ingressus Roma demum anno 1084 capta, ab Antipapa est coronatus; Quem mox Robertus Guiscardus in auxilium Sanctissimi Pontificis ex Oriente, ubi cum Alexio Imperatore bellum gerebat adventans, Roma fugatum, Germaniam repetere compulit. Istud Schisma vigesimum tertium quadraginta amplius annos duravit sub diversis Pontificibus, quod post Guibertum novi a Schismatico Principe, & deinde ab ejus filio intrusi Antipapæ continuarunt, Albertus, Theodoricus, Maginulphus, Abbas de Farfa, & Mauritius Burdinus. Gregorio insequẽte anno Christi 1085, Pontificatus 13 in Cœlum recepto, * *quem morti proximum Henricum absolvisse falsò Sigebertus scribit*; VICTOR III Beneventanus ei successit, quo altero sedis anno vita functo, URBANUS II.

Schisma XXIII.

* Quæst. 117.

II, Gallus sedit. Duodecim Synodos ad instaurandam Ecclesiæ disciplinam, atque extirpandum Schisma Urbanus celebravit. Ea verò celeberrima, quam in Galliis ad Clarùm-montem habuit, anno 1095, in qua ad vindicanda è Saracenorum potestate Loca Sancta, eorumque tyrannide existentes in Oriente Christianos, Hierosolymitanam expeditionem indixit, pęnitentiis omnibus, eo Sacro bello commutatis; quo veluti classico tota Europa perstrepente, certatim hanc in militiam innumeri ubique sunt adscripti. Sexcenta peditum, equitum centum & amplius millia recensita. Eorum Dux Godefredus Bullonius, Dux Lotharingiæ. Superatis Alexii Constantinopolis Imperatoris insidiis, quas in Græcia contra pactam fidem paraverat, trajecto Bosphoro, brevi minori Asia Christiani sunt potiti, Solimano Turcarum Imperatore, qui in ea his temporibus dominabatur, ubique cæso, & fugato. Taurum dein montem transgressi, immensis Persarum, ac Saracenorum prostratis copiis, & fusis, Syriam, & Palæstinam suo Imperio subjecerunt. Anno Christi 1099, die 15 Julii, sexta feria, hora circiter diei nona, Godefredus Hierosolymam cepit, qui mox communi omnium consensu Rex Hierosolymorum est salutatus. Hoc ipso anno Urbanus, cùm in Romana Synodo Guibertum Antipapam, sæpius anathemate ante da-
 mna-

mnatum, novo rursus unà cum ejus fautoribus percussisset, die 29 Julii in Cęlum migravit, Pontificatus anno 12, in cujus locum PASCHAL'S II, Thuscus Bledanus suffectus.

Seculum XII. Duodecimo sæculo iisdem malis Ecclesia infesta est: Ea Imperatorum prçsertim nequitia propagata. Impiissimo Henrico anno Christi 1106 repentina morte extincto, deterior filius post ipsum regnavit Henricus IV. Hic anno 1110 transgressis Alpibus, sequenti anno honorificè a Paschale Romæ susceptus, mox perjurus, abnuente Pontifice Imperatorem ipsum coronare, antequam pactam antea investiturarum cessionem, & jurium Romanæ Ecclesiæ confirmationem adimpleret, eundem captum, & Roma abductum arctissima custodia detinuit, donec investiturarum concessionem ab eo extorsit. Quibus obtentis Paschale Romam reducto ab eo Imperii coronam accepit. Sequente anno congregata a Paschale Romæ synodus extortum ab Henrico privilegium rescidit, id Paschali permittente, qui cum Henrico jurasset, eum se nunquam ob vim illatam excommunicaturum, aut de investituris inquietaturum, id damnare recusavit. Sed eodem privilegio ab ejus Legatis variis in Synodis per Gallias damnato, ipsoque Henrico anathemate confixo, nova demum Romæ habita Synodo anno 1116 hæc confirmavit. Quam ob rem sequente anno

[Hen-

Henrico Roman rursus adveniente, Paschalis Beneventum interim se recepit: unde postero anno 1118 post Imperatoris ex Urbe discessum Romam reversus paulo post decessit, Pontificatus anno 19. GELASIUS II. Cajetanus ei successit, quo abnuente extortum privilegium Henrico confirmare, idem Mauritium Burdinum, Bracarensem Archiepiscopum, nefarium hominem, & a Paschali superiori anno, cùm Henricum rursum coronasset, excommunicatum, adversus eum in Apostolicam sedem intrusit. Quo tempore compulsus Gelasius in Gallias fugere ad Cluniacense Monasterium se recipiens, post annum Pontificatus mortalem vitam reliquit anno 1119 Constantinopoli superiori anno Alexio defuncto Calo-Joannes ejus filius Græcorum Imperium capessivit. Ei successit filius Manuel, Latinorum infensissimus hostis, quem excepit Alexius II. filius, hunc ejus interfector Andronicus, quo extincto, Isacius II, Angelus imperavit, eoque deinde oculis & Imperio privato, frater ejus Alexius III Comneni nomine sibi sumpto. CALLISTUS II, Burgundus Gelasio suffectus est. Hic ab Henrico parem sustinuit vexationem ad annum usque 1122, quo diuturno tandem schismate extincto, desideratissima pax per Generalem Synodum Christiano Orbi illuxit. Ea OECUMENICA SYNODUS IX, LATERANENSIS I, se- P. J. 5836. Christi 1123.

ſequenti anno celebrata. Hæ pacis in ea Pontificem inter, & Imperatorem ſancitæ conditiones: Imperator liberas Clericis, & Monachis ſineret Epiſcoporum, & Abbatum electiones: Pontifex Henrico, ejuſque ſucceſſoribus concederet, ut electi Epiſcopi, & Abbates in terris Imperii Regalia, ideſt Feuda, ac reliqua bona quondam Principum munificentia eorum Eccleſiis conceſſa, prævio fidelitatis ſacramento, per ſceptrum, aliudve externum ſignum ab Imperatoribus acciperent, eorumque poſſeſſionem adirent. Duo inſuper & viginti Chriſtianæ diſciplinæ inſtaurandæ gratia, & ſacræ in Terram Sanctam Expeditionis promovendæ canones ſtatuti. Antiquæ libertati, & paci Eccleſia reddita Calliſtus ſequenti anno ſedis ejus 6. exceſſit. HONORIUS II, Bononienſis poſt Calliſtum Eccleſiam rexit: poſt Honorium anno ſedis 6 defunctum INNOCENTIUS II Romanus, contra quem Petrus Leonis, Anacleti II nomine erectus vigeſimum quartum Schiſma conflavit, quod 8. circiter annorum ſpatio Eccleſiæ pacem rurſus perturbavit, Rogerio filio Rogerii Roberto Guiſcardo nati, cui regium nomen Petrus indulſit, ejus partes fovente. Huic extingüendo Schiſmati Bernardus Abbas Claravallenſis omnem navavit operam apud Franciæ, & Angliæ Reges, ac Lotharium Saxoniæ ducem

Schiſm. XXIV

poſt

post Henrici obitum electum Imperatorem. Mox compulsus Innocentius ab Antipapa se in Gallias recepit anno 1130, quem honorificè Ludovicus VI excepit, & demum Lotharius in Italiam adveniens anno 1133. in sedem restituit, a quo Imperii coronam accepit, hujus nominis II. Petro anno 1138 mortuo, Schismatici Cardinales novum Antipapam suffecerunt Gregorium, qui paulo post abdicavit. Hoc ipso anno defuncto Lothario, Conradus II, Dux Sveviæ, Rex Romanorum electus est. Præter Schisma his temporibus hæreses quoque Petri de Bruis Sacratissimum præsertim Missæ Sacrificium damnantis, preces pro defunctis, & parvulorum Baptismum, & seditiones, quas Arnaldus Monachus Brixianus Petri Abailardi discipulus, in Urbe concitabat, Romanis persuadens, ut se in pristinam Reipublicæ Ethnicæ libertatem assererent; Pontifici, & Clero nihil præter decimas, & primitias, sive oblationes reservarent, Dei Ecclesiam dilacerabant. Quibus medendis malis Innocentius OECUMENICAM X SYNODUM, LATERANENSEM II. indixit. Hæc sequenti anno 1139 habita est. In ea Petri Leonis acta rescissa; Schismatici Petrobusiani, & Arnaldistæ anathemate confixi; & triginta canones Christianam spectantes disciplinam constituti. Synodum Innocentii bellum adversus Rogerium

P. J. 5852. Christi 1139.

excepit. Qui a Rogerio captus, honorificè habitus, eidem ditionem omnem Neapolitanam, Apuliam, Calabriam, & Siciliam cum regio titulo in Feudum confirmavit. Innocentio anno 1143 Sedis 14 vita defuncto CŒLESTINUS II, Tifernas Pontificatum cepit, quem post quinque menses LUCIO II Bononiensi reliquit. Hoc verò tempore frequentes ab Arnaldistis concitatæ Romæ turbæ, & seditiones. Inter has Lucius vulnere in capite a seditiosis accepto anno necdum sedis exacto extinctus est anno 1145. EUGENIUS III, Pisanus post ipsum sedit, S. Bernardi discipulus, qui iisdem turbis compulsus in Gallias se recepit anno 1147. Post sequentem annum in Italiam rediit, ubi demum anno 1152 composita cum Romanis pace, Romam reversus, sequenti anno sui Pontificatus 9 in cœlum abiit. Conrado Romanorum Rege superiori anno vita functo, loco ejus Fridericus Ænobarbus ejusdem ex fratre nepos constitutus est, Romanæ Ecclesiæ hostis infensissimus. Eugenium ANASTASIUS IV, Romanus excepit: hunc anno 2. HADRIANUS IV, Anglus, qui Fridericum Imperii corona redimivit, anno 1155. Hoc eodem anno Hadrianus Guillelmum Siciliæ regem, & Rogerii filium cognomento Malum Ecclesiæ rebellem anathemate perculit; cui mox bello illato Beneventi ab eo obsessus, ut libertatem redimeret,

per ſummam injuriam publico diplomate ipſi concedere vi eſt compulſus, ut in Sicilia jus non eſſet Appellationis ad Romanam Sedem, nec Legationis ab ipſa Sede eò mittendæ, niſi Rege petente, ejuſque hæredibus. Hæc diſſidium ipſum inter, & Fridericum excepit. Londonienſi Epiſcopo Roma in Angliam redeunte a Friderici militibus capto, ſpoliato, male habito, & in cuſtodia ad majorem extorquendam pecuniam detento, Hadriano de ſacrilego facinore apud Imperatorem id diſſimulantem, per Legatos conqueſto, eumque deprecato, ut meminiſſet, quàm propenſo animo Apoſtolica Sedes Imperii diademate ipſum decoraſſet, diſcordiarum ea cauſa fuit, indignante Friderico Romano Pontifici Imperium acceptum referre. Id deinde diſſidium poſt Hadriani obitum in dirum Schiſma erupit, quod Eccleſiam decem circiter & octo annos divexavit. Obiit Hadrianus anno Chriſti 1159 ſedis 5. Eo defuncto, ALEXANDER III Senenſis *Paparonus* ad Apoſtolicum thronum eſt evectus, quo inviſo Imperatori, quidam Cardinales ejus improbata electione vigeſimo quinto invecto ſchiſmate adverſus eum Octavianum erexerunt. Huic deinde favit Fridericus. Inſequente anno 1160 Papiæ coacto ab eo conciliabulo damnato Alexandro tanquam ſchiſmatico, Octavianum, qui Victorem IV ſibi nomen ſumpſerat, legi- Schiſm. XXV.

legitimum Pontificem declarari fecit; edictoque ab ipso per universum Imperium promulgato, ad Idolum, quod erexerat, adorandum Ecclesiarum Prælatos undique accedere jussit, aut in exilium abscedere. Quibus Alexander auditis, Anagniæ existens Imperatorem anathemate perculit, & Regno, atque Imperio deposuit. Octavianum quoque, quem antea damnaverat, rursus diris devovit, atque utriusque fautores; Gallias deinde petiit 1162, quem Ludovicus VII. honorificè suscepit. Extincto Octaviano 1164, Schismatici Cardinales Guidonem novum Antipapam elegerunt, cui Paschali III nomen dederunt. Alexander Romam postero anno reversus, mox Urbe a Friderico obsessa, Beneventum fugere compulsus eundem rursus anathemate damnavit, & Imperio abdicavit anno 1168. Mortuo Guidone anno 1170, tertium Antipapam adversus Alexandrum Schismatici intruserunt Joannem, quem Callisti nomine vocarunt. Sed hæc inter Schismaticus Princeps ab Longobardis variis affectus cladibus, demum a Venetis Othone ejus filio, quem cum armata classe adversus ipsos, Alexandrum, qui Venetias confugerat exposcens, miserat, victo, & capto, pacem a Pontifice petere est compulsus. Hæc anno 1177 Friderico Venetias accedente, peracta est, Romana Urbe ab eo restituta Pontifici, & quæ di-

ditionis erant Ecclesiæ. Venetorum armis, atque virtute reddita demum Ecclesiæ pace, acceptum beneficium multis Veneto Senatui concessis Alexander privilegiis, & indulgentiis compensavit. Rei hujus deinde perenne monumentum Romani Pontifices in Vaticano Palatio extare voluerunt. Res ibi pictura ad vivum expressa conspicitur, & levior fortasse picturæ fides subjectæ narrationis testimonio confirmatur, cujus id Ἐπιφώνημα; seu summa acclamatio, *Pontifici sua dignitas Venetæ Reipublicæ beneficio restituta*. Quod ego quidem dixerim summum Venetæ Gloriæ fastigium impositum. Tandem diuturno extincto Schismate, Alexander, ut collapsam eo durante disciplinam restitueret, OECUMENICAM XI SYNODUM, LATERANENSEM III, celebravit anno 1179 Pseudopontificum irritæ in ea declaratæ ordinationes, & acta: Quidam adhuc in Schismate pertinaces, qui superiori anno Pseudopontificatu a Joanne deposito, Lando quendam Innocentii III nomine elegerant, anathemate damnati: Eodem perculsi Valdenses in Gallia hæretici. Multa demum ad reparandam Ecclesiæ disciplinam decreta, septem & viginti canonibus contenta; quorum primo ad extinguenda prorsus in Romana Ecclesia Schismata sancitum, ut deinceps is demum haberetur Romanus Pontifex, qui duarum ex Cardinali-

P. J. 5892. Christi 2179.

bus partium ſuffragia tuliſſet. Altero ab hinc anno Alexandro vita functo, Pontificatus 22, LUCIUS III, Lucenſis *Allucingolus* creatus eſt Pontifex, qui, dum conaretur Temporalem Romanorum Pontificum auctoritatem a Senatus, Populique Romani ſervitute penitus vindicare, excitata ſeditione, Roma abire compulſus Veronæ anno ſedis 5 vivere deſiit. URBANUS III Mediolanenſis *Cribellus*, ei ſuffectus, qui Veronæ, necdum ſedatis Romæ turbis, degit. Dum Venetias proficiſceretur, comparandæ Claſſis gratia adverſus infideles, Ferrariæ accepto nuncio amiſſæ Hieroſolymæ, ibidem præ mœrore obiit anno 1187, Sedis 2, quo ipſo anno Saladinus Babylonis Ægypti Sultanus, & Calipha, ideſt Mahometanæ ſectæ Pontifex unà cum Guidone Luſiniano Rege Sanctam Civitatem ceperat. GREGORIUS VIII Beneventanus *Sartorii de Mora* in Urbani locum ſuffectus eſt. Hunc poſt duos circiter menſes Piſis defunctum CLEMENS III Romanus excepit. Facta cum Senatu, Populoque Romano pace, Clemens Romam rediit; Eo verò indictam a Gregorio Sanctæ Civitatis recuperationem urgente, Fridericus Imperator, collecto 150 millium exercitu, terra, marique in Palæſtinam expeditionem ſuſcepit, anno 1189; qui inſequente anno cùm multa in Thracia, atque Aſia adverſus Iſaacium Angelum, Conſtantinopolis Impe-

pe-

peratorem, Turcas, & Saracenos fortiter gessisset, dum aliquando post prandium in quodam fluvio per æstum nando corpus refrigeraret, unda abreptus mersus est. Clemente anno 1191, Pontificatus 4, vita functo, CŒLESTINUS III Romanus *Ursinus* sedit. Hoc ipso anno Henricum V Friderici filium, quem pater Romanorum electum Regem in Germania reliquerat, Romæ Imperatorem inauguravit. Hic Constantiam Rogerii I, Siciliæ Regis filiam, uxorem habuit, qui mortuo Guillelmo II cognomento Bono, Siciliæ Rege, filio Guillelmi Mali, absque liberis, ac mox Tancredo ejusdem notho, qui Patri fuerat suffectus, unà cum filio Guillelmo III, in quo Normannorum genus in Italia defecit, utriusque Siciliæ Regnum obtinuit. Richardo deinde Angliæ Rege e bello sacro redeunte a Leopoldo Austriæ duce Viennæ intercepto, & ad eundem Imperatorem misso, tyrannicè ab eo detento, & ingenti pretio libertatem redimere coacto, Cœlestinus Henricum anathemate perculit, quo infelix irretitus obiit Messanæ anno 1197, Friderico filio Siciliæ regni hærede relicto. Henrico in Germaniæ regnum successit Philippus frater, qui Irenem Isaaci Angeli filiam habuit uxorem. Excessit Cęlestinus anno 1198, Pontificatus 7, quem INNOCENTIUS III Anagninus ex illustri *Signiæ* Comitum domo

excepit, qui hoc ipso anno Constantia Augusta, & Friderico filio renunciantibus diplomati, quod quondam ab Hadriano IV Guillelmus senior extorserat, eisdem utriusque Siciliæ investituram concessit.

Seculum XIII Exordio Decimitertii sæculi Græcorum Imperium ad Latinos divertit. Henricus Dandulus Venetæ Reipublicæ Dux, Balduinus Flandriæ Comes, Bonifacius Montis-ferrati Marchio, aliique Principes, qui ad sacram Hierosolymorum expeditionem nomen dederant, Philippo Romanorum Rege, cujus auxilium socer Isaacius imploraverat, curante, capta Constantinopoli, imperio ejecto Alexio, cæcum Isaacium Imperiali in solio rursus collocarunt, Imperii socio Alexio ejus filio eidem adjuncto, anno 1203; quibus sequenti anno ab Alexio Duca rebelle, Murzuphlo, sive superciliosо cognominato, extinctis, mox adversus

P. J. 5917. Christi 1204. tyrannum Constantinopolim Latini Principes reversi, expugnata iterum Urbe, ac tyranno ex alta turri præcipitato, sibi Græcorum Imperium sunt partiti, Balduino Constantinopolis Imperatore inaugurato. Quo ipso tempore Græcorum quoque multi novos sibi Principatus constituerunt. In his Alexius Comnenus Trapezunte in Cappadocia ad oram Ponti Euxini, novum Imperium Trapezuntinum fundavit; cui deinde a Constantinopolitano diviso, Cappadocia fere univer-

ſa paruit, Colchis, Paphlagonia, & Pontus. Id annos 257 ſtetit; quod Mahometes II Turcarum Imperator evertit anno 1461, novem annis poſt extinctum Conſtantinopolitanum. Balduino anno ſequenti 1205 a Bulgarorum Rege Adrianopoli, quam ille obſidebat, auxilium ferente, per inſidias capto, & extincto, Henricus frater ei ſucceſſit. Quem deinde excepit Petrus Antiſſiodorenſis, ejus gener; hunc Robertus filius, qui filium Balduinum II. ſucceſſorem habuit; quo poſt annos 20 expulſo, Imperium rurſus ad Græcos poſt annos octo & quinquaginta rediit, Michaele Palæologo Imperatore conſtituto, anno Chriſti 1261. In cujus deinceps familia Conſtantinopolitanum Imperium ad ejus uſque excidium perſeveravit. Extincto in Occidente Philippo electo Imperatore anno 1208, Otho IV, Dux Saxoniæ ei ſucceſſit. Hunc Innocentius Romam invitatum ſequenti anno Imperatorem coronavit, quem mox fędifragum, Romanæ Eccleſiæ Terras invadentem, & Regnum Friderici Siculi, omnemque Italiam hoſtiliter incurſantem, communione ſacrorum ſimul, & Imperio ſubmovit, anno 1210; cui hoc ipſo anno idem Fridericus Germanorum ſuffragiis eſt ſuffectus, hujus nominis II. Conſtantinopoli Latino Imperatore regnante, ad recuperandam Terram Sanctam id Innocentii animum accendit. Ob id

OE-

P. J. 5928. Christi 1215. OECUMENICUM CONCILIUM XII, LATERANENSE IV, indixit, Anno 1215 id celebravit. Ei interfuerunt Patriarchæ Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus; Alexandrinus sub Saracenis gemens, & Antiochenus gravi morbo detentus, Legatos ad concilium miserunt. Multa verò in eo peracta, Sacrum bellum conclamatum: Albigenses Hæretici, Valdensium soboles, anathemate confixi: adversus ipsorum errores Catholica doctrina confirmata, ac præsertim Eucharistiæ transubstantiationis fides: Proscriptus liber Joachimi Abbatis Florensis Monasterii adversus Petrum Lombardum, Parisiensem Episcopum, & sententiarum Magistrum, & Almarici doctoris parisiensis impia dogmata. Orientali Ecclesia per Latinos Principes cum Romana communione rursus conjuncta, ad Græcos magis demerendos, Patriarchalis dignitas, & jura Sedibus Constantinopolitanæ, & Hierosolymitanæ confirmata, ac Patriarchæ Constantinopolitano primus post Romanum honoris locus indultus: Demum Christiana disciplina stabilita, * *a Sancta synodo* septuaginta canonibus constitutis. Innocentio postero anno, Sedis 19 defuncto, HONORIUS III, Romanus, *Sabellus*, Romanæ, & universali Ecclesiæ præfuit. Anno 1220 Fridericum ex Germania, quò se post suam in Romanorum Regem electionem

* Quæst. 118.

nem receperat, in Italiam reversum, Romæ suscepit, & Imperii corona insignivit. Eundem deinde Romanæ Ecclesiæ ditionem, neglecta in Palæstinam expeditione, quam juramento premiserat, vexantem, & novos Episcopos in Apulia, & Sicilia, depulsis, quos Pontifex instituerat, constituentem excommunicavit anno 1222: quod factum nonnulli negant. Mortuo Honorio anno 1227, Sedis 11, GREGORIUS IX, Anagninus, ex clara *Signiæ* Comitum familia ei successit. Is Fridericum sacram expeditionem adhuc suscipere cunctantem, atque admonitum tergiversantem, Christiano interim exercitu, qui Brundusium undique confluxerat, ad insoliti aeris intemperiem, & æstatem pestifera suborta lue magna parte sublato, novo anathemate perculit; qui sequenti anno 1228, majore parte exercitus ad infestandam Ecclesiam in Sicilia relicta, in Syriam Sacris innodatus censuris navigavit, ubi turpi cum Sultano Ægypti, Hierosolyma precariò, & specie tenus impetrata, pace peracta, mox proximo anno in Italiam regressus, eam protinus intestinis odiis, & factionibus replevit, Gibellinorum, qui partes ejus sustinebant, & Guelforum, qui a Pontifice stabant; quæ duæ factiones ingentes in multa post tempora strages in Italia edidere, Duce Gibellinæ partis in Longobardia constituto Ecelino stirpe Teutonico, de Romano ab opi-

pi-

pido paternæ originis in Marchia Tarvisina, ejus nominis nuncupato, perfido, & immani tyranno, qui annis quatuor & triginta Tridentum, Tarvisium, Patavium, Veronam, Brixiam, aliasque urbes oppressas tenuit. Ob hæc Fridericum novo anathemate Gregorius confixit, & Regno Siciliæ, & imperio deposuit. Eundem deinde his territum, pacem, & veniam precantem, censuris absolutum, in gratiam recepit, anno 1230. Sed deinde relapsum rursus diris devotum Regno, & Imperio privavit, locis omnibus, in quibus ageret, Interdicto subjectis, anno 1239. Pontificatus anno 15 Gregorius e vita decessit. Post eum CŒLESTINUS IV, Mediolanensis, *Castilionæus*, 17 dies sedit. Viginti deinde menses Friderici perfidia Sedes vacacavit. INNOCENTIUS IV, Genuensis, *Fliscus* demum ei datus successor, qui Friderici insidiis Gallias adire compulsus, honorificè a S. Ludovico Rege exceptus, ad succurendum Ecclesiæ, & Christiano Orbi Friderici impietate innumeris ubique malis concusso, ŒCUMENICUM CONCILIUM XIII, LUGDUNENSE I, promulga-
P. J. 5958. vit. Illud anno 1245. celebratum est.
Chr. Rursus in eo confixus anathemate Fri-
1245. dericus, Regno, & Imperio spoliatus: In Palæstinam expeditio decreta, & Dux S. Ludovicus rex Galliarum constitutus: Cardinales Galero rubro impertiti: Jus deinceps eligendi Impe-

ra-

ratorem septem tantummodo Imperii Principibus,partim Ecclesiasticis, partim Secularibus attributum:Demum septemdecim constitutiones, quæ Judicia spectant,sancitæ.Redacto in ordinem Friderico, novum statim Electores Imperatorem crearunt Henricum VI,Thuringiæ, & Hassiæ Lantgravium. Huic post biennium defuncto Guillelmum Hollandiæ Comitem suffecerunt; quo anno 1256 in bello adversus Frisios extincto, diu deinde Romanum vacavit Imperium, Electorum suffragiis inter Richardum Henrici Anglorum regis fratrem, & Alfonsum Castellæ, & Legionis regem, Astronomiæ scientia celebrem distractis, donec anno 1273, Gregorio X Pontifice urgente Rodulfus Habspurgensis Comes creatus est, justitia, religione, & bellica virtute celebratus. Hic, Ottocaro Bohemiæ rege semel, & iterum victo, & cęso, Austriam ipsi eripuit, qua Alberto filio tradita, suæ familiæ Austriacum nomen fecit, Regum deinceps, atque Imperatorum feracissimæ. Friderico anno 1250 Firenzolæ in Apulia extincto, quem an pœnituerit, incertum, Innocentius, exacto pene septennio Lugduni Italiam repetiit; ubi rursus infestum passus Conradum Friderici filium,qui, audita patris morte, ex Germania in Italiam ad recipiendum Siciliæ regnum advenerat, eundem sacrorum communione interdixit. Quo deinde excommunicato, & impœniten-

tente, veneno a Manfredo fratre, & Friderici notho, ſublato, Innocentius, Neapolim cum exercitu Romanæ Eccleſiæ jura vendicaturus accedens, ibidem exceſſit, anno 1254, ſedis 12. ALEXANDER IV, Anagninus, e ſtirpe Comitum *Signiæ* ei ſucceſſit: huic anno 1261, ſedis 7, URBANUS IV, Gallus, Trecenſis. Quo ipſo anno Michael Palæologus, Balduino II deturbato, Conſtantinopolitanum Imperium invaſit. Hunc deinde excepit Andronicus II, qui patrem, quòd cùm Romana Eccleſia communicaſſet, ſepultura privavit. Urbanus, Manfredo, ſpecie tutoris Conradi, Conradi filii, quem Conradinum vocarunt, utriuſque Siciliæ Regno occupato, Eccleſiæ ditionem igne, & ferro vaſtante, Carolum S. Ludovici fratrem, Provinciæ Comitem, & Andegavorum Ducem in Italiam evocatum Regem Apuliæ, & Siciliæ, utroque Regno Conradino ſpoliato, & Svevorum Ducum familia, nuncupavit. CLEMENS IV, Narbonenſis Urbanum poſt tres annos Pontificatus excepit, anno 1265. Quo ipſo anno Carolus Romam delatus ingenti honore ſuſceptus eſt, quem Clemens ſequenti anno Regem Apuliæ, ſive Neapolis, & Siciliæ, prævio fidelitatis, & homagii ligii juramento inungi fecit, & coronari. Hic Manfredum hoc ipſo anno victum occidit, & deinde Conradinum, quem ex Germania

mania a Gibellinis in Italiam accitum prælio ſuperavit, & cepit, anno 1268, quo eodem anno, quarto ſui Pontificatus Clemens deceſſit. Tres & triginta menſes deinde Sedes vacavit ob Cardinalium diſcordiam. GREGORIUS X demum, Placentinus, ex *Vicecomitum* familia, Leodienſis Archidiaconus, qui tum in Syria cum Chriſtiano exercitu agebat, ad Apoſtolicum Solium eſt evectus, anno 1271. Poſtero anno in Italiam reverſus, mox de promiſſo Terræ Sanctæ Chriſtianis ſubſidio ſolicitus, OECUMENICUM CONCILIUM XIV, LUGDUNENSE II indixit. Anno 1274 celebratum eſt. Ei interfuerunt Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, Latini: Michaelis quoque Palæologi Imperatoris Oratores, * *Ipſe non adfuit* & Metropolitanorum Orientis Legati. In eo Græcorum Schiſma, quod, Latinorum Imperio Conſtantinopoli extincto, rurſus fuerat inſtauratum, ſublatum, ac Unio Græcæ, & Latinæ Eccleſiarum redintegrata, Græcis Spiritus Sancti a Patre, Filioque proceſſionem profeſſis, ac Romanæ Eccleſiæ ſuper Univerſam Eccleſiam divino jure Principatum. In Terram Sanctam decreta Expeditio, & unus ac triginta canones, ſive Conſtitutiones, pro Eccleſiaſticæ, & Chriſtianæ diſciplinæ reformatione ſtatuti; quorum primo confirmata Conſtitutione Alexandri III circa electio-

P. J. 5987. An. Chr. 1274.

* Quæſt. 119.

nem

nem Romani Pontificis, eandem in Conclavi peragendam, decretum. In jurata Unione haud diu Græci perstiterunt: mox præter Imperatorem, & alios admodum paucos ad vomitum sunt reversi. Gregorio anno 1276, Pontificatus 5 in Cœlum translato, INNOCENTIUS V, de Tarentasia ejus in locum suffectus: huic post quinque menses HADRIANUS V, Genuensis, *Fliscus*, successit, qui Constitutionem Gregorii de Conclavi Cardinalium magno Ecclesiæ damno suspendit. Post 37 dies eum excepit GREGORIUS XI, Placentinus, *de Vicedominis*, quo ipso electionis die vita functo, JOANNES XIX, vulgò XXI, Olyssiponensis, electus, cui post octo mẽses suffectus NICOLAUS III, Romanus, *Ursinus*: huic verò anno 3, MARTINUS II, sive IV (binis sub hoc nomine acceptis Marinis) Gallus, Briensis. Anno 1282, Martii die 30, ipso Festo Dominicæ Resurrectionis in Sicilia Francis, dum Campanæ ad Vespertinum Officium pulsarentur, tota Insula absque sexus, ætatis, conditionis, ordinis discrimine ad unum cæsis (unde Sicularum Vesperarum nomen) Martinus Panormitanos, & omnes conjuratos anathemati subjecit. Petrum Aragoniæ regem conjurationis participem, Siciliam invadentem novo anathemate perculit, ac demum Regno deposuit. Post 4 annos Martinum HONORIUS IV, Romanus, *Sabellus*,

exce-

excepit, anno 1285. Huic poſt biennium NICOLAUS IV, Aſculanus, *Tineus* ſucceſſit. Anno 1291, qui 192 a capta, Duce Godefredo Bullonio, Hieroſolyma numeratur, quartum annum Nicolao Univerſalis Eccleſiæ clavum tenente, Sultano Ægypti Melec-ſeraffo Ptolemaide in Syria expugnata, univerſa mox Syria, Chriſtianis partim cæſis, partim in vicinam Inſulam Cyprum confugere compulſis, potito, unà cum Religione Sacratiſſima quoque MARIÆ Virginis Domus, Divini VERBI ad nos delabentis, atque in nobis habitantis, Auguſta Sedes inde diſceſſit. Ea Angelorum manibus ex Civitate Nazareth, & ex templo, quod olim Helena Magni Conſtantini Mater ipſi circumdederat, ſublata, in Dalmatiam, collemque inter Terſactum, ac Flumen oppida eſt translata unà cum Ara ſacra, quam in ea Apoſtoli, in templum redacta, erexerant, & Chriſti Crucifixi Imagine, ab iiſdem Apoſtolis ibidem collocata, nec non cedrina effigie ipſius Sanctiſſimæ Virginis, puerum JESUM geſtantis, a S. Luca Euangeliſta expreſſa: unde deinde anno 1294, quarto Idus Decembris in Italiam, Chriſtianæ religionis Arcem, & Domicilium, regionemque Picenam eorundem Angelorum miniſterio delata eſt. Nicolaus anno 1292, Sedis 5, eſt vita functus; quo ipſo anno Adolfus Naſſaviæ Comes, ſuperiori anno Rodulfo defuncto,

cto, in Regem Romanorum est electus. Post Nicolai obitum ex Cardinalium discordia amplius biennium Sedes vacavit. COELESTINUS V, Eserniensis, *Moronus* tandem creatus, quo post quinque menses Pontificatum abdicante, BONIFACIUS VI, vulgò VIII nuncupatus, Anagninus, *Cajetanus* ejus in locum substitutus, anno 1294.

Seculum XIV. Eodem Bonifacio Pontifice Maximo sæculum decimumquartum iniit. Grave extitit dissidium, quod inter Bonifacium, & Philippum Pulchrum Regem Franciæ est exortum. Hujus discordiæ non una causa fuit. Jus, quam Regaliam vocant; Columnensium Pontificis hostium susceptum a Rege patrocinium; atque in Terram Sanctam expeditio, quam idem Philippus detrectabat. Eundem demum Bonifacius anathemate perculit, Regno sacris interdixit, ac populo fidelitatis sacramento absoluto, Alberto Austriæ Duce, Rodulfi filio, qui Adolfo ob suam segnitiem deposito suffectus fuerat, Regnum subjecit, anno 1303. Quo ipso

:p. j. 6016. An Chri. 1303. anno idem Pontifex Anagniæ Philippi jussione per Sarram Columnensem, & Guillelmum Nogaretum Gallum, proditione captus, ac mox a populo liberatus, Romam deinde perductus, paulo post ex animi mœrore obiit, anno Pontificatus 9. Restituta a Bonifacio Gregorii X de electione Romani Pontificis in Conclavi peragenda

da constitutione, post ejus mortem Cardinales illud ingressi, BENEDICTUM X, dictum falsò XI, Tarvisinum, *Bocasinum*, elegerunt. Pace cum Philippo, & Francis Benedictus instaurata post octo Pontificatus menses vita emigravit. CLEMENS V, Lemovicensis, *de Agutis*, seu *de Gotho* post undecim menses vacationis sedis, Cardinalibus in factiones divisis, ei suffectus anno 1305. Hic Pratensis Cardinalis opera ex Archiepiscopo Burdegalensi electus, Italiæ tumultuum pertæsus, ea tota Alborum factionibus, & Nigrorum, quorum his mox Guelfi, illis Gibellini adhæserunt, discissa, in Gallia constitit, & Pontificiam Sedem maximo Reipublicæ damno Roma Avenionem transtulit, ubi annis hæsit amplius 70. Henricum Ducem Lucemburgensem Romanorum Regem, extincto Alberto, ab Electoribus suffectum confirmavit, hujus nominis VII, ea conditione, ut intra biennium coronam Imperii Romæ susciperet, & Italiam factionibus purgaret. Hujus sæculi anno undecimo OECUMENICUM CONCILIUM XV Viennæ in Gallia celebravit. In eo Templariorum Equitum Ordinem atrocia ob eorum scelera extinxit, amplissimis eorundem opibus Equitibus Hospitalariis S. Joannis, quos nunc vulgo Melitenses vocant, addictis: Fraticellos, seu Dulcinistas, Beguardos, Beguinas anathemate confixit: In Terram Sanctam decre-

cre-

crevit Expeditionem: In fidelium morum, & Ecclesiæ disciplinæ reformationem plurimas edidit Constitutiones, quæ aliis ab eo ante, & post Concilium editis permixtæ Clementinæ sunt nuncupatæ. Clemens decessit anno 1314, Sedis 9. Diffidentibus post ejus obitum Cardinalibus amplius biennium Sedes vacavit; donec facto compromisso de illo recipiendo, quem Jacobus *de Ossa*, Cadurcensis, & Episcopus Cardinalis Portuensis, nominasset, is se ipsum Pontificem dixit, JOANNIS XX sibi assumpto nomine, seu XXII, ut falsò vulgò nuncupatur. Id Joannes Villani ejus temporis scriptor tradidit, & deinde S. Antoninus. Pari dissensione, anno 1313 defuncto Henrico Imperatore, de successoris electione certarunt Electores. Votis inter se divisi, plures Ludovicum Bavariæ Ducem elegerunt, Fridericum alii Austriacum, Alberti quondam Imperatoris filium. Sed Ludovicum, inconsulto Pontifice, nec ejus expectata confirmatione, Imperatoris titulo sibi adscito, & Imperii administratione, & deinde victo, & capto Friderico exultantem, ac Apostolicæ Sedi causam dicturum sistere se abnuentem, Joannes, reprobata ejus electione, anathemate perculit anno 1324. Quo Bavarus contempto in Italiam transgressus, sumptis Romæ Imperii insignibus, Petrum Corbariensem ex Franciscanorum Ordine adversus eum in Apostolicam Sedem intrusit:

ſit: quod ſchiſma mox eſt extinctum, Bavaro novo anathemate a Pontifice confixo, fideque populis, qua ipſi ſe obſtrinxerant, ſolutis, Germaniam repetere compulſo, ac Petro abdicante, & veniam a Joanne petente. Anno 1332, mortuo Andronico Conſtantinopolis Imperatore, quem aliquot ante annis Andronicus, ejus ex filio Michaele nepos, Imperii adminiſtratione ſpoliaverat, idem Andronicus III imperavit, qui anno 1341 decedens, Joanni, & Manueli filiis Joannem Cantacuzenum, Magnum Domeſticum tutorem dedit. Quo poſt annos 16 pulſo, Joannes regnavit, donec anno 1384 Manueli II filio Imperium ceſſit. Obiit Clemens Pontifex anno 1334, Sedis 19. Hunc excepit BENEDICTUS XI, dictus vulgò XII, Gallus, *de Furno*. Novus Pontifex latis in Bavarum ab ejus deceſſore ob uſurpatum Imperium cenſuris confirmatis, adverſus eundem ut ſibi auxilia pararet, cùm his temporibus per ſingulas ferme Italiæ præcipuas urbes Principes viri arripuiſſent tyrannidem, legitimam illis, jure Imperii ſolutis, ſub annuo cenſu poteſtatem fecit anno 1340. Hinc Vicecomitum Mediolani exortus Principatus, Scaligerorum Veronæ, Mutinæ Eſtenſium, Gonzagarum Mantuæ, Patavii Carrarienſium, Aliorum aliis in urbibus. Sacræ per hæc tempora ceſſarunt expeditiones. Atrociſſimum Francos inter & Anglos exortum bellum in cauſa fuit,

Schiſm. XXVI.

quod cœptum anno 1336, annos 200 perduravit. Causam præbuit affinitas, Eduardo III Rege Angliæ jure materno Regnum Galliæ postulante, quod Philippus VI, postremi Regis, Caroli IV patruelis, sibi per legem Salicam arrogabat. Benedicto anno 1342, Sedis 8 vita functo, CLEMENS VI, Lemovicensis, *Rogerii*, Pontificatum cepit. Is sacrum Jubilæum, quod Bonifacius VIII centesimo quoque anno celebrandum instituerat, ad annum quinquagesimum reduxit. Ludovicum Bavarum contumacem, confirmatis rursus latis in eum censuris, omni denuo dignitate, & honore privavit, eoque jubente, novus demum electus Rex Romanorum, Carolus IV, filius Joannis Regis Bohemiæ, ac Dux Lucemburgensis, anno 1346. Clemens ab Joanna Apuliæ Regina, & Provinciæ Domina, Nepte ex Carolo filio Roberti, filii Caroli Claudi, qui post Carolum patrem Ducem Andegavensem, & Provinciæ Comitem, regem utriusque Siciliæ, regnavit, Avenionem emit. Obiit Clemens Pontificatus anno 11, qui Francorum Regibus potestatem fecit sub utraque specie communicandi; quo privilegio die suæ inaugurationis, & mortis utuntur. INNOCENTIUS VI, Lemovicensis, *Alberti*, Clementi suffectus. Huic anno Sedis 11 URBANUS V, Gallus, Grisacensis, *Grimoaldus*, qui Romam invisit, ac Primus Tiara Pontificia tri-

plici

plici exornata corona usus est. Bonifacius VIII duplicis coronamenti detulit: Superiorum Pontificum unicam coronam habuit. GREGORIUS XI, seu veriùs XII, *Rogerii*, Clementis VI ex fratre nepos, ei successit. Hortante S. Catharina Senensi, hic Pontificiam Sedem Romam restituit, anno 1377; quo, insequente Pontificatus 8, vita functo, schisma omnium, quæ unquam fuerunt, teterrimum est exortum, quod quinquaginta annis maximo Ecclesiæ, & Christianitatis damno perduravit, Romæ aliis, aliis Avenione Pontificibus sedentibus. Post Gregorii mortem Romano populo Pontificem aut Romanum, aut Italum, ne Sedes rursus Roma distraheretur, clamoribus, & minis postulante, ad Apostolicum thronum Cardinales URBANUM VI, Neapolitanum, *Prignanum*, ex Archiepiscopo Barensi evexerunt. Hoc statim reformandis illorum moribus toto intento, ejus severitate Cardinales Galli offensi, facta conjuratione Anagniam secesserunt; ubi vim sibi a populo illatam causati, Urbano ad suam tuendam causam dicta die, mox in eum, tanquam contumacem, sententiam tulerunt, intrusum declarantes, nec Papam, & Apostolicum, sed Apostaticum, & anathematizatum. Fundos deinde Neapolitani Regni urbem, annuente Regina Joanna, quæ cùm prius Urbano favisset, mox inurbanè ab eo habita, rebellibus Cardina-

Schism. XXVII.

libus adhæserat, se recipientes, novum ibi Pontificem eadem approbante Regina, elegerunt, Robertum Cardinalem, Gallum, qui Clementis VII. nomine sibi accito, mox Avenionem adiit. Huic Galli, Scoti, Hispani, Mediolanenses, & Sabaudi adhæserunt; ab Urbano steterunt Itali, excepta Joanna, & Mediolanensibus, Germani, Angli, & Hungari. Illi deinceps mutuis inter se anathematibus, & armis digladiantes, luctuosissima in Ecclesiam mala intulerunt. Urbanus Joannæ iratus, eam Regno abdicavit, quo in Carolum Dyrrachinum ejusdem patruelem translato, ille mox ipsam sustulit. Quem paulo post Urbanus infestum passus, diris devovit. Sacrum Jubilæum Urbanus ad annum 33 re-
* Quæst. 110. duxit. Idem * *Legitimus Pontifex*, obiit, veneno extinctus, anno 1389, Pontificatus 12. BONIFACIUS VII, vulgò IX, Neapolitanus, *Thomacellus*, ei successit, qui mox a Clemente diris devotus, eidem vicem rependit. Huic verò anno 1394 defuncto pseudo-Cardinales Petrum *De Luna*, Aragonium, suffecerunt, qui Benedicti XIII nomen sibi assumpsit. Romanorum persecutionibus Urbe recedere Bonifacius compulsus, mox revocatus, primus plenum Romæ dominium adeptus est. Idem Annatas Beneficiorum instituit, anno 1399. Eæ fuerunt fructus primi anni Ecclesiarum Cathedralium, & Abbatiarum. Quemcumque

in

in Archiepiſcopum, Epiſcopum, vel Abbatem promotum Apoſtolicæ Sedi has perſolvere juſſit, veluti penſionem, in ſuſtentationem Pontificis, Cardinalium, Aliorumque miniſtrorum, atque agnitionem ſupremæ illius poteſtatis: imitatione inſtitutionis veteris Teſtamenti, qua primitiæ, & decimæ fructuum ſacro ordini ſolvebantur, & decima illius decimæ Summo Sacerdoti. Dimidiam tantùm partem redituum primi anni Fiſco Apoſtolico Bonifacium reſervaſſe, alii malunt. Imperio ob inertiam anno 1400 Venceslao, qui Carolo patri ſucceſſerat, Electores depoſito, Fridericum III, ab aliis IV nuncupatum, Brunſuicenſem Ducem in ejus locum ſubſtituerunt; quo mox proditione ſublato, ei Robertus, Dux Bavariæ, & Rheni Palatinus ſuffectus.

Novo Bonifacio Pontifice Maximo ſæculum quoque Decimum quintum initium habuit. Eo defuncto anno 1404, ſedis 15, Cardinales ſe ſinguli juramento obſtrinxerunt, ut quiſquis ipſorum renunciaretur Pontifex, liberè pontificatu abdicaret, quoties alterius factionis Papa idem faceret, ſchiſmatis tollendi cauſa. Bonifacio deinde ſucceſſorem dederunt INNOCENTIUM VII, Sulmonenſem, *Melioratum*; qui poſt biennium GREGORIO XII, Veneto, *Corerio*, ſedem reliquit, quam Cardinales voto prævio, & juramento, ut is, in quem caderet ele- Sæculum XV.

ctio, datis statim Adversario literis, eundem ad se invicem abdicandum invitaret, & modis omnibus optatam Ecclesiæ unitatem procuraret, ei detulerunt. Gregorio deinde, & Benedicto ultrò, citròque missis literis, & nunciis, rem consultò protrahentibus, desperata demùm concordia, ambobus, tanquam fœdifragis, Cardinales desertis, Pisis convenientes, præcipuis Christiani Orbis Principibus faventibus, * *Legitimo* ibi habito concilio, eisdem in ordinem redactis, novum Pontificem elegerunt, ALEXANDRUM V, Cretensem *Philargi*, seu *Philareti*, anno 1409; quo sequenti anno post decem Pontificatus menses vita functo, JOANNES XXI. vulgò XXIII, Neapolitanus, *Cossa*, ei suffectus. Hoc ipso anno mortuo Roberto Imperatore, Jodocus Marchio Moraviæ ejus loco est constitutus: Eo paulò post defuncto Sigismundus Caroli IV. filius, rex Hungariæ ad Imperii solium evectus est, Princeps pietate, & religione insignis. Is Ecclesiæ ut pacem redderet, cùm Legatos circumquaque ad Principes misisset, ipse demùm Galliam, Hispaniam, Angliam, Italiam adiit, nec priùs acquievit, quàm Joannem ad cogendam Synodum adduxit. Hæc Constantiensis Synodus. Anno 1414 inchoata, demùm anno 1418 absoluta est. Ejus exordio Gregorio per Legatos concilii decretis obedientiam pollicito, Joannes quoque stu-

* Quæst. 121.

P. J. 6127. Christi 1414.

ſtudio pacis voto, & juramento Pontificatus ceſſionem promiſit, idem Gregorio, & Benedicto præſtantibus, atque etiam in quocumque eventu vel ceſſionis, vel deceſſus. Sed mox vim veritus clam concilio ſe ſurripuit; cujus judicio deinde ſe ſubijciens, ab eodem ſeſſione 12 eſt abdicatus anno 1415 poſt annos quinque Pontificatus. Annis deinde amplius duobus ſedes vacavit. Joannis abdicationem hoc ipſo anno ſeſſione 14 Gregorii ceſſio excepit, quam ille per Carolum Malateſtam Principem Arimini, ubi tum agebat, ſuum procuratorem fecit, in manibus Sigiſmundi, ab ipſo Cæſare Concilii authoritate exceptam. Benedictus ſæpè citatus, perpetuò contumax, demùm ſeſſione 37 eſt depoſitus anno 1417; qui nihilominus, ejus pervicaciam Alfonſo Rege Aragoniæ fovente, ad ſuum uſque exceſſum Pontifex haberi voluit. Quo anno 1424 Paniſcolæ, quò ſe ante a Francis deſtitutus receperat, Valentini Regni munitiſſimo oppido ad maris oram, rupi impoſito, extincto, eodem Rege urgente, a duobus reliquis ejus factionis, Cardinalibus ei datus eſt ſucceſſor Clemens VIII nuncupatus. Quo demùm anno 1429, juſſu Alfonſi Eccleſiæ reconciliati, abdicante peſtilentiſſimum omnium, & diuturniſſimum Schiſma omninò eſt extinctum. Abdicato Synodus unà cum ſociis Benedicto novum Eccleſiæ Pontificem dedit

MARTINUM III, seu V, Romanum, *Columnensem*, qui insequente anno 1418 ante Concilii dissolutionem juxtà decretum sessione 39 editum proximè futuri Concilii locum, Ticinum, sive Papiam designavit. Absoluta deinde Synodo, ejusdem decreta, ad fidem spectantia, *conciliariter*, secundùm ejus auctoritatem edita confirmavit; quibus præsertim Joannis Vvicleffi hæreses, Joannis Hussi, & Hieronymi Pragensis anathemate damnaverat, Husso, & Hieronymo flammis addictis. Post hæc Martinus Germania relicta, Italiam, & Romam petiit. Interim anno proximo 1419 Constantinopoli Manuele Imperio se abdicante, illud Joannes filius suscepit; quo anno 1445 defuncto, Constantinus ejus frater, hujus nominis XII. imperavit, Imperatorum Orientis, & Græcorum postremus. Anno 1423 Martinus novum Generale Concilium Ticini inchoavit, quod mox, suborta ibi peste, Senas transtulit, nec multò post, sive ob ingruentia per universum ferè Orbem bella Patribus paucis convenientibus; sive Alfonso Rege Aragoniæ per illud Benedicti causam restituere satagente, dissolvit, unà cum præsentibus Patribus novo Basileæ septem post annis celebrando indicto. Mortuus est Martinus anno 1431, sedis 14, cùm hoc ipso anno Julianum Cardinalem Cæsarinum Basileam inchoatum concilium delegasset;

set;

ſet. EUGENIUS IV, Venetus, *Condulmerius*, ei ſucceſſit, ingentium animorum Pontifex. Statim Eugenius Chriſtianorum paci, & Eccleſiæ reformationi intentus, Juliani legationem confirmavit. Hoc eodem anno 1431, die 14 Decembris Baſileæ Concilium eſt incæptum, quod deinde in conciliabulum verſum, decem & octo annos tenuit. Ipſo ejus exordio diſſenſio inter Eugenium, & ipſum Concilium exorta. Hanc Patres facto ſynodo initio præſcribendo Pontifici leges excitarunt. Ob id Eugenius, ea diſſoluta, novam poſt annum, & dimidium Bononiæ, & poſt decennium alteram Avenione juxtà decretum Conſtantienſe celebrandam indixit. Ad Eugenii edictum exorta in ſuperiori Conſtantiæ Synodo ſeſſ. 4. 17. & 39 Controverſia de concilii ſupra Pontificem authoritate recruduit. Triennium circiter inter ambas partes pertinax duravit altercatio. Hæc deinde piiſſimi Sigiſmundi Imperatoris opera, qui hæc inter Imperii coronam accepturus, Romam advenerat, utcumque per quadriennium circiter ſopita, quo multa ſalubria ſunt ſtatuta. Sed illa rursùs renaſcente, Eugenius Concilium Ferrariam tranſtulit anno 1437, ea prætexta cauſa, quòd is locus Græcis, qui ad conciliandam rursùs Orientis Eccleſiam cum Latina adveniebant, commodiſſimus foret. Hoc ipſo anno Sigiſmundus Imperator in

K 5 Cœ-

Cœlum abiit, Alberto Austriæ Duci genero Hungaria unà cum Bohemia, quam post Wenceslai fratris obitum, ac multa cum Hussitis bella obtinuerat, relicta. Plerique Patrum Eugenii edicto audientes extitere. Reliqui in sententia de non mutando indicto Concilii loco secundùm Constantiensis Synodi decretum sess. 39. obstinatè perstantes, animos præsertim addente Alfonso rege Aragoniæ, Eugenio æquè, ac ante Martino infenso, tum
* Quæst. 122. demùm * *temerario ausu* Generale concilium supra Pontificem habere potestatem definierunt, nec Papæ esse authoritatem ejusmodi concilium sine ejus consensu dissolvendi, prorogandi, aut de loco ad locum transferendi; ac hæreticos id sentientes declararunt. In Eugenium deinde tanquam Schismaticum, & hæreticum lata depositionis sententia, Amedeum, qui ante annos quinque relicto Sabaudiæ ducatu, Eremiticum habitum induerat,
Schisma XXVIII. novum Pontificem, dictum Felicem V jusserunt, anno 1439; qui deinde anno 1449 pseudo-Pontificatum abdicavit. Ferrariæ concilium anno 1438
P. J. 6051. An. Chr. 1438. cęptum est ŒCUMENICUM XVI, FLORENTINUM a Florentia, quò deinde transferri contigit, communiter nuncupatum. Mense Januario inchoata Synodo, sequenti mense Joannes Constantinopolitanus Imperator, Demetrius ejus frater, Josephus Ecclesiæ Constantinopolitanæ

Pa-

Patriarcha, ac cęterorum Patriarcharum legati, aliique insignes Antistites, in quibus Bessarion Nicęnus Episcopus, Isidorus Thessalonicensis, & Marcus Ephesinus Venetias appulerunt. Maximo a Senatu excepti honore, Ferrariam mox accesserunt, quos honorificentissimè Eugenius suscepit. Albertus II, Austriacus Rex Hungariæ, & Bohemiæ hoc eodem anno Imperator creatus est. Variis Ferrariæ celebratis sessionibus, mox suborta in Urbe pestilentia, insequente anno Eugenius Florentiam Concilium transtulit. Post novas ibi sessiones, & disputationes unio rursus Ecclesiarum instaurata, Bessarionis præsertim opera, &, Isidori eruditissimorum in Latinis pariter, ac Græcis literis virorum, quos propterea Cardinalatus dignitate Eugenius decoravit. Unà cum Romana Ecclesia Græci Spiritum Sanctum a Patre, Filioq; procedere iterùm confessi sunt: Purgatorium existere: ad corporum resurrectionem Justis æternam felicitatem non differri, nec Reprobis æterna supplicia: Romanum Pontificem jure Divino in Universa Ecclesia Primatum habere: Eucharisticum Sacramentum tam in azymo pane, quàm in fermentato confici. Qua in re, ut locorum consuetudo servaretur, statutum. Hæc unio hoc anno 1439 perfecta, quam S. Antoninus undecimam appellat, cùm tamen alii, Blondus, Platina, Sabellicus, Nauclerus, Tri-

K 6 the-

themius, reconciliationem in concilio Lugdunensi II decimam tertiam nuncupent. At brevis ea fuit. Paulò post Constantinopolim Græci reversi rursus ex more antiquum Schisma renovarunt, in quo ad hanc diem obstinatissimi perseverant. Post Græcorum discessum, qui hoc ipso anno 1339 contigit, * *Concilium adhuc continuatum*. Hoc eodem anno Armenos quoque ad illud advenientes, suis ejuratis erroribus, in unionem Eugenius excepit: Jacobitas anno 1441, ac sequenti Æthiopas, seu Abissinos, quorum Imperator, *Presbyter Joannes* vulgò nuncupatus, nomine Zerah-Jacob, idest semen Jacob, ad fidei unionem ab ipso Eugenio invitatus, ad eundem suos ea de re legatos misit, quos Eugenius Romæ, ea occasione Concilio in Urbem translato, suscepit. Alberto Romanorum Rege anno 1439 vita functo, sequenti anno novus Cæsar creatus est Fridericus IV, Dux Austriæ, Ernesti filius, & Alberti Patruelis, Princeps pietate, & religione clarus; in cujus posteritate adhuc perseverat Imperium. Abdicante anno 1443 Alfonso rege Aragoniæ Basileense Schisma Eugenius Neapolitanum Regnum, quod, pulso Renato Andegavensi, occupaverat, eidem in feudum dedit. Id Alfonsus adoptionis jure sibi vendicabat. Hunc Joanna II Regina Caroli III Dyrrachini filia, & Caroli II, Claudi Abneptis ante Ludovicum

* Quæst. 123.

III.

III Ducem Andegavensem, Renati fratrem, adoptaverat. Sed Andegavensium erant potiora jura. In Ludovicum Martinus V, abdicata Joanna regnum transtulerat. Eadem mox Regina, exorta eam inter, & Alfonsum discordia, ejusdem antiquata adoptione, ipsum Ludovicum adoptaverat, quo sine liberis defuncto, Renatum hæredem constituerat. Aragonii exinde Neapolitanum Regnum unà cum Sicilia, quam post vesperas Siculas pari demùm vi occupaverant, possederunt, ea regna Gallis sæpè frustrà armis rursùs repetentibus. Eugenius anno Christi 1441, Pontificatus 16 obiit. Successorem habuit NICOLAUM V, Sarzanensem, qui Amedeum Friderici Cæsaris, & Caroli VII Franciæ Regis suasionibus pseudopontificatum abdicantem, quemadmodum Gregorium Corerium Constantiensis Synodus, Cardinalem creatum primum inter Cardinales locum habere voluit, anno 1449; quo ipso anno Basileensi extincto conciliabulo Lausanæ, quò demùm grassante Basileæ peste fuerat translatum, ejus decreta, quæ ad Ecclesiastica beneficia spectabant, studio pacis idem Nicolaus jam existentibus in possessione confirmavit. Constantinopolim Isidoro Cardinali Rutheno misso, Constantinum Imperatorem rursùs ad unionem cum Romana Ecclesia reduxit anno 1452. Quo ipso anno honorificè Fridericum Romę exceptum

Im-

Imperii insignibus decoravit; qui mox in Germaniam rediens Borsium Marchionem Estensem, admirandis animi ejus virtutibus captus, Mutinę, & Regii Ducem dixit. Proximus annus postremus fuit Græcorum Imperii. * *Hoc anno Christi* 1453 Mahometes II Amuratis II filius, Turcarum Imperator, capta Constantinopoli extincto Constantino illud evertit, Divino demùm Numine Græcorum scelera ac præsertim defectionem a catholica, & Romana Ecclesia vindicante. Orientis Imperium stetit annos 1123. Id a Magno Constantino, Helenæ filio exortum, in Constantino, Helenæ pariter filio est extinctum. Exactis Nicolaus in Pontificatu annis octo obiit anno 1455, quem CALLISTUS III, Hispanus, Valentinus, *Borgia*, excepit. Is statim publico in Turcas nuncupato voto classem adversus eos instruxit. Preces toto Christiano Orbe indixit, eam quoque ob rem meridiana campanarum instituta pulsatione. Universos Christianos Principes ad sacrum bellum adhortatus, contra Turcas, Usumcassanum etiam Persarum Regem, ac Regem Tartarorum concitavit. Nec vanæ ejus preces, & labores. Insequente anno 1456 Mahomete Taurunum, quam Belgradum vocant obsidione aggresso, Joannes Hunniades Hungarorum exercitus Dux, animos ejus Legato addente, insignem de Turcis victoriam retulit, 40 eorum millibus

* Quæst. 124.

libus cæsis, & ingenti præda potitus. Vita functo Callisto anno sedis 4, PIUS II. Senensis, *Picolomineus*, Ecclesiæ præfectus, pari studio Sacro bello promovendo incubuit. Ob id anno 1459 Episcoporum, ac Principum conventum Mantuæ celebravit. Sed decretum bellum, mox mutatis Principum studiis, non susceptum. Sacram expeditionem dum ipse suscipit, reliquos ut suo exemplo excitaret, Anconæ Classem jam ascensurus, excessit anno 1464, Pontificatus 6. PAULUS II, Venetus, *Barbus*, ejus successor, haud minori cura sacrum bellum promovit. Ferrariæ ducatum Borsio Estensi, Mutinæ Duci Paulus in Feudum dedit. Rubris capitiis Cardinales decoravit, quibus soli Pontifices antea utebantur, pannoque ejusdem coloris equos ipsorum ornatos esse jussit dum equitarent. Idem Jubilæi celebritatem ad annum 25 reduxit, anno 1470: quo Mahometes Chalcidem, quam Negropontem appellant, unà cum cognomine Insula Venetę Reipublicæ eripuit, Paulo Erizo Urbis Prætore ab immani, & perjuro tyranno medio secari jusso, ejusque filia Virgine castissima, & formosissima ejus turpitudini consentire nolente jugulari. Obiit Pontificatus anno 7. Post ipsum SIXTUS IV. Savonensis, *Rovereus*, 13 circiter annis sedit eidem bello intentus. INNOCENTIUS VIII, Genuensis, *Cybo* ei successit. Hic Ferdinan-

dum

dum V, Aragoniæ Regem, & Castellæ jure uxoris Isabellæ, Hispania Mauris post annos 780, quàm eam invaserant, prorsus ab eo expulsis unà cum Hebræis, qui Christianam fidem nollent amplecti, *Catholici* nomine decoravit, anno 1492, Pontificatus ejus ultimo. Commentum est hunc Norvegiis sine vino sacrificare permisisse, quòd eò delatum ob immensum frigus mox acescat. Hoc ipso anno 1492 sub ejusdem Ferdinandi auspiciis Christophorus Columbus, Genuensis, novum Orbem invenit, deinde Americam, ab Americo Vesputio Florentino, nuncupatum. Hujus sæculi exitum Vascus quoque Gama, Lusitanus, illustravit, Calecutum in Orientali India anno 1498 appulsus. Innocentium excepit ALEXANDER VI, Hispanus, Valentinus, *Lenzolius*. Insequente anno 1493 Friderico Imperatore vita functo, Maximilianus Filius, Rex Romanorum, Imperium adiit. Hujus uxor Maria Caroli Burgundiæ Ducis unica, & hæres filia, quæ Belgicis Provinciis, & Burgundiæ comitatu Austriacam familiam ditavit. His verò natus Philippus, qui, ducta Joanna Ferdinandi, & Isabellæ filia, nova Regnorum Hispaniarum, Neapolis, Siciliæ, atque Americæ accessione domum locupletavit. Hic Carolum ex ea suscepit, & Ferdinandum, quorum ille in Hispania, hic in Germania Austriacam Familiam propagavit.

Sæ-

Sæculi decimisexti anno tertio Alexandro post annos II vita functo, PIUS III Senensis, *Todeschinus*, Pii II ex sorore Nepos, 26 dies sedit: huic successit JULIUS II, Savonensis, Sixti IV ex Fratre nepos. Sed hujus sæculi exordium insigne fecit Venetorum discrimen ingens. Florentissima his temporibus Veneta Respublica finitimorum, & remotorum Principum subiit invidiam. Anno 1508 in ejus excidium Universi simul Cameraci, Belgii urbe, jurarunt. Tanta vis belli contra Gentem unam hactenus non conflata unquam, ne in ipsos quidem Christiani nominis hostes. Solus ferè Lusitanus ab eo consilio abhorruit. Fortunam belli Veneti semel armis tentarunt: qui victi, mox prudentia sua elusos superarunt Victores. Nimirùm Divinum Numen meditatum fœdum facinus non tulit, ut servata incolumi Arce illa contra Turcas libertatis Christiani Orbis, terra, marique munitissima, omnium securitati, & Religionis nostræ sacratissimæ Romanæ sedi satis esset cautum in perpetuum. Huic bello nec Julius censuris, & armis defuit Sed mox redintegrata cum Veneta Republica amicitia, novum cum ea fœdus percussit adversus Francos, qui dilatato in Italia per Liguriam, & Insubriam Imperio, susceptoque Alfonsi Estensis, Ferrariæ Ducis, Borsii ex Fratre Hercule nepotis, Comachium, quasi juris Imperii, Eccle-

Seculum XVI.

P. J. 6221. An. Chr. 1508.

clesiæ reddere abnuentis, patrocinio, Ecclesiasticæ ditioni exitium minitari videbantur. In quod deinde fœdus Hispanis quoque, Anglis, & Helvetiis ab eo ascitis, Francus Ludovicus XI, his Julii conatibus irritatus, cum Maximiliano Cæsare ad eundem abdicandum concilii cogendi pessimum concilium cepit. Id conciliabulum Pisanum dictum; quod Pisis anno 1511 per quosdam Schismaticos Cardinales coactum; Mediolanum postmodum translatum est, ac tandem Lugdunum; ubi fœdum exitum est sortitum. Illud Julius ut dissolveret, Eugenii IV exemplum imitatus, ŒCUMENICUM
P. J. 6225. CONCILIUM XVII, LATERA-
An. Christi NENSE V, indixit. Insequente anno
1512. 1512 id cœptum, anno 1517 est absolutum. In eo acta Pisani conventus damnata: Pœnæ Schismaticis Cardinalibus, cæterisque illius conventus auctoribus, inflictæ: Pragmatica Sanctio à Bituricensi Conciliabulo jampridem anno 1438, ex decretis Pseudosynodis Basileensis conflata, & in Galliam per publicum diploma *Caroli* VII Regis invecta, proscripta: Confirmata Julii constitutio, qua altero sedis anno in Romani Pontificis creatione, non solùm omnem simoniam vetuerat, verùm etiam sic factam electionem nullam existere declaraverat. Hæc inter Julio anno 1513, Pontificatus 10, vita functo, LEO IX, vulgò X, Florentinus, *Mediceus*,

ceus, ejus loco constitutus, Synodum deinde continuavit, cui deinceps Ludovicus quoque secutus Cæsaris exemplum, Pisano deserto Conciliabulo, adhæsit. Multa secundùm hæc, quæ ad Ecclesiæ disciplinam spectant, sancita. Quæ dum constituerentur, Bononiam Leo profectus cum Francisco I Rege Galliarum, Ludovici genero, & successore, qui per id temporis, Maximiliano Sforcia victo, Mediolanensem Ducatum sibi vindicarat, pace, quam ictum antea adversus eum a Pontifice fœdus cum Maximiliano Cæsare, & Sforcia sustulerat, per mutuum colloquium redintegrata, abdicanti Regi Pragmaticam Sanctionem, & Annatas Romano Pontifici concedenti, Archiepiscopos, Episcopos, & Monasteriorum Abbates per ejus Regnum eligendi, ac præsentandi potestatem fecit anno 1515. Hæc Leonem inter, & Franciscum conventio, multis capitibus distincta, sequenti anno *Concordati* nomine in Concilio promulgata, & confirmata, loco Pragmaticæ sanctionis. Demum Sacra Synodus anno 1517, antequam dissolveretur, sacrum bellum adversus Turcas conclamavit, eò hoc ipso tempore formidolosiores, quòd Selimus, Mammaluchorum extincto Imperio, Syriam occupaverat, atque Ægyptum; quod deinde in mutua inter Christianos Principes bella deflexit. Id factum

ctum Martini Lutheri nequitia, Augustiniani Eremitæ, qui Indulgentiarum, quas Leo amplissimas in sacrum bellum, & Vaticani Templi fabricam a Julio ejus decessore ante inceptam, aliquid eroganti concessit, promulgationem Dominicanis Fratribus a Moguntino Archiepiscopo, per Germaniam huic negotio præfecto demandatam, invidens, hoc ipso anno 1517, ipsas Indulgentias impugnando, hæresim suam propalare cœpit. Maximiliano defuncto, Carolus ejus ex Philippo filio nepos, Rex Hispaniarum, & Franciscus Galliarum Rex Imperium ambierunt. Huic ille prælatus, hujus nominis V, qui deinceps perpetuum fere inter se bellum gesserunt. Martinum Lutherum ejus Patronos, ac defensores Leo anathemate perculit. Henricum VIII Angliæ Regem ob luculentum contra Hæresiarcham editum opus illustri titulo *Defensoris Fidei* decoravit, anno 1521; quo ipso anno ejus Pontificatus 9 vita functo, HADRIANUS VI, Trajecti natus in ejus locum suffectus; qui ex ejus erga Carolum, cujus fuerat præceptor, amore, Episcoporum nominationem Hispaniarum Regibus indulsit. Altero Pontificatus anno morte sublato CLEMENS VII, *Mediceus*, Leonis IX patruelis Pontificatum obtinuit. Quo tempore Lutherana peste per Germaniam debacchante, ejus furore illius finibus non contento, foras quoque erum-

erumpente, primus omnium Clemens ab ea damna tulit. Ea Cæsaris copiæ, Lutheranæ pleræque, quas post victum, & captum ad Ticinum Franciscum Galliarum Regem, atque in Hispaniam abductum in Longobardia alebat, ipsi intulerunt. Icto inter Clementem, Franciscum in Regnum reversum, Venetam Rempublicam, & Longobardos ad Franciscum Sforciam Mediolanensi ducatu exutum, atque in Arce Mediolani obsessum liberandum, & in integrum restituendum, fędere, Hæ improvisæ, Duce Carolo Borbonio, induciarum fide spreta, quas interim Clemens cum Lanoio Prorege Neapolitano pepigerat, Romam aggressæ, capta Urbe, & fœdè direpta, eundem in mole Hadriani obsessum, ac mox deditione facta, arcta in custodia in eadem Arce habuerunt, anno 1527. Grandi deinde pecunia Pontifex redempta a Cęsare libertate, redintegrata amicitia, eundem Bononiæ Imperatorem coronavit, anno 1530; quo ipso anno Florentia Clementis copiis, & Imperatoris capta, Mediceis, quos Florentini, audita Pontificis captivitate, Urbe expulerant, restitutis, Alexandrum Clementis nepotem, primum Florentiæ Ducem Imperator constituit; eodem paulo ante titulo Friderico Gonzaga Mantuæ Marchione decorato. Sed jam per Germaniam, Daniam, Sveciam Lutherana lues latius pervagata,

gata, denique in Angliam quoque pervasit. Eam impietatem Rex Henricus, Lutheranis Germanis Principibus, datum ab eo repudium Reginæ Catharinæ uxori, Ferdinandi, & Isabellę Regum Catholicorum filiæ, & sorori natu minori Joannæ Caroli Imperatoris Matris, execrantibus, tantum palam non est professus. Ob id repudium, & superinductam Annam Bolenam Clemens Henricum diris devovit anno 1534; qui se unà cum Re-
P. J. 6247. gno ab ejus communione divellens;
Chr. 1534. Principatum Anglicanæ Ecclesiæ sibi sumpsit, ac POSTREMAM in Ecclesia PERSECUTIONEM suscitavit. Hæc mala deinde Maria Henrici ex Catharina filia, ac Philippi II Hispaniarum Regis uxor, catholica fęmina, quæ post Eduardum VI, fratrem in Anglia regnavit, aliquandiu compescuit; post cujus obitum ab Elisabetha, Henrico ex pellice Anna Bolena nata, restituta, ad hanc diem obstinatè tenent. Ex Lutherana perfidia novis in dies pullulantibus monstris, hoc ipso anno 1534 ex ea Joannes Calvinus prodiit, qui deinde mutuis inter se bellis Gallias armavit. Clemente hoc eodem anno, sui Pontificatus 11 vita perfuncto, PAULUS III Romanus, *Farnesius*, ei successit. Sæviente in Anglia Henrici persecutione, inter cęteros sequenti anno Joanne Fischero Roffensi Episcopo, Cardinali, & Thoma Moro Regni Cancellario ab eo

gladio

gladio sublatis Paulus excommunicationis rursus sententiam, & Regni privationis, in eum tulit, nisi intra 90 dies vel per se, vel per legitimum procuratorem causam dicturus, Romæ se sisteret; qua mox infligenda rogatu nonnullorum Principum supersedens, demum impio Rege in dies efferatiore, eam promulgavit, anno 1538. In compescendis, extirpandisque heresibus per Septemtrionem grassantibus totus Sanctissimus Pontifex, atque hæreticis hactenus Sacrorum anathematum, & Imperialium edictorum contemptoribus in viam veritatis reducendis, postremum Œcumenicum Concilium indixit, anno 1536. Ad ejus celebrationem primùm Mantua electa; quam mox Friderico Duce variis prætextibus denegante, Vicentiam, quam Veneta Respublica obtulit, Paulus designavit, qui ne bellum, quod inter Imperatorem, & Galliarum Regem erat, Concilio moram afferret, hæc inter Nicæam, sive Niciam, Pedemontii Urbem, profectus, eò quoque utroque accedente Principe, pacem, sive inducias per decennium inter eos conciliavit. Improbantibus mox Lutheranis Principibus, qui verbo quidem Concilium urgebant, reipsa nihil magis refugiebant, Vicentiam haud liberum esse locum causantibus, demum Catholicis Germaniæ Principibus assentientibus, rursus licèt reclamanti-

bus

bus Protestantibus, novo diplomate Concilium Tridenti celebrandum Pontifex indixit, anno 1542; quod, renovato inter Imperatorem, & Regem Franciæ bello, suspendere coactus, mox rursum reconciliata eos inter pace, illud denuo anno 1544, alio diplomate instauravit. Anno 1545 SACRUM TRIDENTINUM CONCILIUM,
P. J. 6258. ŒCUMENICUM XVIII, & ULTI-
Chr. 1545. MUM, Dominica *Gaudete*, tertia Adventus, quæ in Idus Decembris incidit, cùm secundum Pauli decretum Dominica *Lætare*, quarta Quadragimæ, tanquam die Lætitiæ inchoari non potuisset, eodem fausto omine ejusdem jussum est inceptum. Illud semel, & iterum intermissum, demum quinque & viginti sessionibus anno 1563 absolutum est. Octo celebratis sessionibus, suborta Tridenti peste, Pontificis Legati secundùm ipsis ante factam ab eo potestatem Concilium Bononiam transtulerunt, anno 1547. Hoc ipso anno duæ Bononiæ habitæ sessiones. Mox turbato Ecclesiæ statu ob necem Petri Aloisii, Pontificis filii, quem anno 1545 Parmæ, & Placentiæ, ditionis Romanæ Ecclesiæ Urbium, fiduciario jure Ducem creaverat, harum loco Ducatu Camerini, & Nepe Ecclesiæ attributo, simulque inde exortis inter Pontificem, & Imperatorem, qui has civitates ad Mediolanensem Principatum pertinere contendebat, simultatibus, Concilium deinceps toto

re-

reliquo Pauli Pontificatu cessavit. Quo tempore Imperator, Smalcaldico bello, quod Protestantes Tridentinum Concilium execrantes ipsi moverant, feliciter confecto, cæso eorum exercitu, ac Lutheranæ sectæ patronis suam in potestatem redactis Joanne Friderico Duce Saxoniæ Electore, & Philippo Hassiæ Lantgravio, haud probato zelo, ut discordias Religionis causa in Germania exortas sedaret, donec instauratum Concilium cuncta definiret, formulam Doctrinæ, & Rituum interim tenendam promulgavit, *Interim* nuncupatam anno 1548. Hæc 26 capitibus erat distincta. Præcipua Religionis Christianæ dogmata de Sacramentis, atque Ecclesiæ ritibus continebat. Pleraque omnia, exceptis duobus articulis, quibus presbyteris conjugium concessum erat, ac populo Eucharistiæ communio sub utraque specie, Romanæ Ecclesiæ doctrinæ consentanea. Hunc Cæsaris ausum Paulus damnavit, atque ubique Catholici; nec Hæretici eam formulam approbarunt. Post quindecim Pontificatus annos Paulo vita functo, 1549, JULIUS III, Aretinus, *de Monte*, ejus successor, anno 1551 Concilium rursus Tridenti instauravit. Sex sessiones, Julio Pontifice, Tridenti celebratæ. Concilium deinde rursus est suspensum anno 1552, Imperatore novo bello a Protestantibus appetito. Horum Dux Mauritius Saxo, cum

Henrico II Franciæ Rege, qui Francisco patri successerat, fœdere junctus, quem hactenus catholicum simulantem Carolus bonis, ac dignitate Electoratus Joannis Friderici ejus patruelis impertiverat; cum quo Imperator mox pace composita, bellum adversus Francum est prosecutus. Quod dum gereretur, Julio anno 1555, sedis 6, defuncto, MARCELLUS II, Thuscus, Politianus, *Cervinus*, qui nomen non mutavit, duos & viginti dies sedit. Hunc excepit PAULUS IV, Neapolitanus, *Caraffa*. Hoc ipso anno Carolus Regni curam, & Imperii pertæsus, utroque se abdicans, illud in Philippum filium, hoc in Ferdinandum fratrem Archiducem Austriæ, Regemque Romanorum, atque Hungariæ, & Bohemiæ Annæ uxoris jure, Ludovici II Regis utriusque Regni defuncti sororis, transtulit. Turbis, & bellis fere perpetuò implicatus Paulus post quatuor annos Pontificatus PIO IV, Mediolanensi, *Medicino*, sive *Mediceo* eum reliquit anno 1559. Post Sanquintineam pugnam inter Gallos, & Hispanos, quæ hoc ipso anno contigit, pace conciliata, Pius intermissum per decem annos Concilium Tridenti resumpsit, anno 1562. Novem rursus sessionibus celebratis, demum multis decretis, ac 126 Canonibus, Hæreticorum anathemate proscriptis erroribus, & Catho-

licæ

licæ Doctrinæ veritate stabilita, sequenti anno 1563 est absolutum; quod Pius anno postero confirmavit, vita paulo post, anno videlicet 1565, Pontificatus ejus 6 perfunctus, post suscepta ab Sororis filio Carolo Cardinali Borromæo (raro felicitatis exemplo, quod vix alii Romano Pontifici contigit) cuncta Ecclesiæ sacramenta. Hoc ipso anno Ferdinandus Imperator clementia, & pietate clarus, imperare, & vivere desiit, cui Maximilianus II filius successit. Post Pium IV PIUS V Ecclesiam rexit, *Ghislerius*, Boschi, agri Alexandrini in Insubria, oppido natus. Pii studium omne, & cura in purganda, & propaganda Catholica Religione, atque Ecclesiastica restituenda disciplina. Cosmum Mediceum Florentiæ Ducem ob magna in Apostolicam Sedem merita Regia corona donatum Magnum Etruriæ Ducem appellavit, anno 1569. Per hæc tempora Galliis magnis Hugonottorum, sive Calvinistarum divexatis turbis, adversus perduelles Regi Carolo IX pecuniis, & copiis præsto fuit. Eæ verò 1559 inceptæ, deinceps totos 70 annos id regnum infestum habuerunt. Elisabetham, quæ post Mariæ excessum, arrepta in Anglia tyrannide, in Catholicos persecutionem restituerat, idem Pius, populo religionis sacramento, quo se ei obstrinxerat, soluto, diris devovit, anno 1570. Verùm dum Chri-

ſtiani Religionis ergo pro decreto in Turcas ſacro bello exitialibus odiis inter ſe confligunt, & ſacrilegis bellis invicem conficiuntur, interea barbari Chriſtianæ Reipublicæ luctuoſiſſimas clades intulerunt. Univerſam ferme Hungariam Solimanus occupavit, unà cum Rhodo Inſula," ex ea] S. Joannis ejectis Equitibus, quibus Carolus V ejus loco Melitam donavit. Ejus deinde filius Selimus II Venetæ Reipublicæ Cypri Regnum eripuit anno 1571; quo M. Antonius Bragadinus fortitudine vir inſignis, Muſtaphæ Selimi Duci Famaguſtam demum rerum inopia dedere compulſus die 2 Auguſti a barbaro perjuro captus, naribus, auribuſque mulctatus, tandem per ſummam barbariem excoriatus eſt; quo in tormento vir fortiſſimus ad ultimum uſque ſpiritum Chriſtum invocare non intermiſit. Piæ, & religioſæ Reipublicæ ibi valdè laboranti Sanctiſſimus Pontifex Pius peropportuna ope ſuccurrere non omiſit. Sacro rurſus adverſus barbaros hoſtes bello indicto, cum Republica, & Hiſpanis fœdus junxit. Ingens eſt inſtructa Claſſis. Ejus ductor Joannes Auſtriacus, Caroli V nothus. Hæc poſt menſem circiter a Famaguſta unà cum Inſula amiſſa, Meſſana ſolvit. Turcarum claſſem in ſinu Corinthiaco, ſive Naupacti, qui hodie Lèpanticus, verſari audito, ad Echinadas, quas Curzolares hodie appel-

pellant, convenit: Ibi pugnatum die 7 Octobris. Victi barbari, eorumque ducentæ & quadraginta quinque triremes partim captæ, partim depressæ: Turcarum cæsa, vel captiva vigintiquinque millia: viginti Christianorum millia reddita libertati. Post conditum Romanum Imperium ea maxima mari parta victoria; quam Pius suis precibus Christianis impetratam, eadem hora, qua fuit obtenta, divinitus didicit. Eam Deiparæ Virgini Mariæ acceptam referens *Commemorationem S. Mariæ de Victoria* Nonis Octobris in Ecclesia instituit, atque in Litaniis ejusdem Virginis inseri voluit *Auxilium Christianorum, ora pro nobis*. Gloriosus anno, qui insecutus est, 1572, sedis 7, in Cœlum abiit, quem meritis, & sanctitate clarum Clemens XI Pontifex Maximus, qui hodie Christianam Rempublicam sanctissimè moderatur, Sanctis adscripsit. Hoc ipso anno Batavorum, sive Hollandorum rebellio erupit. Hi Deo rebelles, neque Legitimo Principi fidem servarunt. Per Belgium Calviniana propagata contagione, Geusiorum turbæ anno 1565 inceperunt. Primi Hollandi Duce Ludovico Nassavio, Arausicano Principe, Hispanorum Imperium excusserunt; ad quos aliis mox accedentibus populis, & Civitatibus, ea Respublica exorta, quæ hodie Fœderatorum Ordinum appellatur. GREGORIUS XIII, Bononiensis, *Boncom-*

pagnus, Pii successor, ictum ab eo fœdus confirmavit; quod, mox compositis inter Venetos, & Turcas rebus, est dissolutum. In memoriam obtentæ ad Echinadas contra barbaros victoriæ Gregorius *Festum Sanctissimi Rosarii* instituit, prima Dominica Octobris, qua ea victoria reportata fuit, in singulis Ecclesiis, ubi Altare, vel Capella Rosarii fuerit, celebrandum. Idem diu optatam anni emendationem tertiò edidit, anno 1582. Statuit, ut, quò Vernum Æquinoctium, quod a Patribus Concilii Nicæni ad 12 Calendas Aprilis constitutum fuerat, ad eandem sedem restitueretur, de mense Octobri subsequenti decem dies inclusivè a tertio Nonas usque ad pridie Idus, quot ad quartum Idus Martias revolutum inde recesserat, eximerentur. Deinde, ne in posterum a duodecimo calendas Aprilis idem Æquinoctium ob nimiam Sosigenis intercalationem rursus recederet, statuit, Bissextum quarto quoque anno, ut moris erat, continuari, præterquam in centesimis annis; qui quamvis Bissextiles antea semper fuissent, qualem *etiam* esse voluit annum 1600, eos tamen deinceps non omnes Bissextiles esse jussit; sed ex quadringentis quibusque annis, primos quosque tres centesimos sine Bissexto transigi, quartum verò quemque centesimum Bissextilem esse. Trium Japoniæ Principum per Legatos anno 1585 obsequium accepit. Nimirum dum

dum Germania, & vicinæ regiones Christi Vicario rebellant, India Japonia, extremæ Orbis Terræ, Christianam fidem Francisci Xaverii prædicationibus amplexæ, denegatum a perfidis filiis Patri Religionis honorem compensant. Gregorio hoc ipso anno vita functo, Pontificatus 13, SIXTUS V, de Montealto in Piceno, *perettus* ad Apostolicum Thronum evectus. Justitiæ Sixtus admodum cultor, improbis inexorabilis. De Cardinalium numero, quò veteris Synagogæ figura sanctæ Ecclesiæ veritati respondeat, septuaginta duntaxat creari statuit, sex Episcopos, Presbyteros quinquaginta, & Diaconos quatuordecim, ex iisque quatuor saltem in sacra Theologia Magistros ex Mendicantium ordinibus. Vulgatam Versionem Latinam summa diligentia correxit; Versionem etiam Græcam Septuaginta Interpretum emendatam cum Latina interpretatione edidit. Henricum Borbonium Navarræ Regem, & Henricum Condæum Principem, Calvinistarum in Gallia duces, & patronos anathemate perculit, atque successionis in Gallicum regnum jure spoliavit. Henrico III Franciæ Regi ob necem Cardinalis Guisii sacris interdixit. In Anglia ab Elisabetha Maria Stuarta Regina Scotiæ, quæ compulsa a perduellibus Scotis, ad eam confugerat, post octodecim annorum carcerem capite truncata, atque in

Catholicos in dies aucta persecutione, Sixtus impiam, & sacrilegam sacro anathemate rursus confixit, & subditos ab juramento fidelitatis absolvit, omnibus, & singulis, qui ejus legibus, aut mandatis parerent, eidem anathemati subjectis. Obiit anno 1590, Pontificatus 6. Sixtum URBANUS VII, Romanus, *Castanea*, 12 dies excepit. Post Urbanum decem circiter menses GREGORIUS XIV, Mediolanensis, *Sfondratus*, sedit. INNOCENTIUS IX, Bononiensis, *Facbinettus*, qui Gregorio successit, duos menses regnavit. CLEMENS VIII Florentinus, *Aldobrandinus*, ei suffectus anno 1592. Henricum IV Borbonium, Galliarum, & Navarræ Regem cognomento Magnum, qui Regni hæres ab Henrico III relictus, id demum post dirum cum Catholicis bellum, ejurata hæresi, est adeptus, ab sacris Censuris absolvit. In Indiam Missionem hactenus solis Religiosis societatis Jesu concessam, cæteris quoque Mendicantium Ordinum permisit, anno 1600.

Sæculum XVII. P. J. 6314. Christi 1601. Sæculi decimi septimi felicia auspicia Clemens cepit, addito Ecclesiæ Patrono D. Raymundo de Pennaforti, Ordinis S. Dominici. Missos in Europam a Persarum Rege Legatos, ut Christianos Principes adversus Turcas incitarent, hoc ipso primo Sæculi anno honorificè Romæ excepit. Tres & quinquaginta Cardinales Clemens crea-

creavit, in quibus Cæsar Baronius, Soranus, Annalium Ecclesiasticorum Parens, & Robertus Bellarminus, Politianus, e Societate Jesu, Controversistarum Dux, & Hæreticorum Malleus. In Cœlum migravit anno 1605, Pontificatus 14. LEO X, vulgò XI, Florentinus, *Mediceus*, ei successit; quo post dies 26 vita functo, PAULUS V, Romanus, *Burghesius* in Apostolicam Sedem est evectus. Insequente anno inter Paulum, & Venetam Rempublicam ortum dissidium. Lato ab eo in eam Interdicto, mox discordia est extincta Henrici Galliarum Regis interventu. Novis incrementis per Africam, & Orientem aucta Christiana Religione, Rex Congi obedientiam, ac Regnum vectigale per Legatos Paulo obtulit. E Japonia idem Pontifex anno 1615 novos Legatos excepit, sibi obsequium nomine Idatis Regis Voxu deferentes. Hæc inter Rodulpho Imperatore defuncto, Matthias ejus frater Imperium capessivit, cui deinde Ferdinandus II, ejus patruelis successit. Paulus excessit anno 1621, Pontificatus 16. GREGORIUS XV, Bononiensis, *Ludovisius* in locum ejus substitutus. Hoc anno sedis tertio defuncto, URBANUS VIII, Florentinus, *Barberinus*, Pontificatum cepit. Vaticanum Templum omnium sacrorum, quæ unquam fuere uspiam, amplitudine longè augustissimum post annos amplius centum ab-

solutum Urbanus sacris ritibus consecravit, anno 1630. Hoc ipso anno, *Illustrissimi* titulo jam communi cuilibet alicujus dignitatis personæ reddito, Cardinales *Eminentissimos* appellavit; quem titulum tribus quoque Imperii Electoribus Ecclesiasticis, ac Magistro Equitum Hospitalariorum dedit. Urbano Pontifice, Mantuanum bellum Longobardiam infestam habuit, Carolo Gonzaga Nivernensi in Gallia Duce Mantuani Ducatus, & Montisferrati a Vincentio II, qui sine liberis decessit, hærede instituto. Adversus Nivernensem id gesserunt Germani, Hispani, & Dux Sabaudiæ, quem unà cum Veneta Republica Franci sunt tutati. Huic malo alterum longè gravius accessit; ingens pestis in Italiam a Germanis delata, quæ hoc ipso anno 1630, Venetiis 60 hominum millia absumpsit: in Veneto Dominio quingenta amplius millia: in reliqua verò Longobardia tertiam alibi partem, alibi dimidiam. Germania quoque his temporibus a Gustavo Seciæ rege fœdè vastata, suæ defectionis ab Romana Ecclesia pœnas luit. Mortuo inter hæc Ferdinando, Imperium deinde Ferdinandus III ejus filius gubernavit. Annos amplius unum & viginti Urbanus Ecclesiam moderatus obiit, anno 1644. Post Urbanum INNOCENTIUS X Romanus, *Pamphilius*, Ecclesiæ præfuit. Ejus Pontificatus exordio Cretense bellum exortum, quod Veneta Res-

Respublica adversus Turcas fortiter gessit annis quinque & viginti. Huic Innocentius, quandiu regnavit, singulis annis suas Triremes in subsidium misit. Quinque propositiones Catholicæ veritati adversas e Cornelii Jansenii, Iprensis Episcopi, libro excerptas proscripsit. Aliam quoq; propositionem hæreticam declaravit, quæ Paulum æqualem Petro in Universalis Ecclesiæ administratione asserebat. Pacem Monasterii in Westphalia inter Cæsarem, Svecos, cæterosque Europæ Principes peractam tanquam Catholicæ Religioni noxiam damnavit. Sedit annos amplius decem. Anno 1655 ALEXANDER VII, Senensis, *Chisius*, ei suffectus. Hoc ipso anno Christinam, Sveciæ Reginam, Magni Gustavi filiam, quæ cum Lutherana hæresi regno abdicato Romam venit, honorificentissimè excepit. Ferdinando vita functo anno 1657, Leopoldus ejus filius Imperium suscepit. Venetam Rempublicam in Cretensi bello Alexander pecunia, & milite egregiè adjuvit; Imperatori quoque Leopoldo præsto fuit in Hungaria, & Transylvania adversus eosdem Turcas bellum gerenti. Amplius annos 12 Pontificatu sanctissimè functus in Cœlum migravit, anno 1667. Eum excepit CLEMENS IX, Pistoriensis, *Rospigliosus*. Periclitanti Candiæ Insulæ Metropoli, a qua nunc ipsi Cretæ Insulæ nomen, Clemens ut succurreret, inten-

ratum nihil reliquit. Ea verò anno 1669 amissa, eodem anno Pontificatus ejus 3 ex mœrore obiit. Postero anno in ejus locum substitutus CLEMENS X, Romanus, *Alterius*. Hìc verò mihi liceat stylum ex longo per omnes partes discursu domum revocare, & ab alienis ad nostra, a publicis ad privata paululum traducere, non diverticuli ameni causa, sed officii, legenti quidem, ut spero, non ingrati, mihi verò scribenti necessarii. Incidit in hæc tempora ad annum 1671 Seminarii hujus nostri Patavini
1575. annis jam ante fermè centum a parvis initiis excitati ad ampliorem sedem translatio, simulque ad florentiorem & fortunarum, & studiorum statum provectio, auspiciis utique felicissimis, ingentibus sumptibus, curaque in id opus incredibili jam Venerabilis inter mortuos Viri GREGORII BARBADICI Cardinalis Episcopi proximè nostri non magis purpura, quàm sanctitate morum, Pastorali vigilantia, & eruditione præclari: cui sane Musarum nostrarum Mæcenati dicam, an Parenti? cùm omnes aliæ disciplinæ, atque artes suos quæque fructus tanquam satori, & cultori suo pendere debent in hoc feracissimo quasi ejus manu solo consitæ, & peregrinarum cognitione Linguarum, Typographia, Bibliotheca, delectu, & frequentia Præceptorum, applicatione denique censuum mirum
in

in modum auctæ; tum verò Ecclesiastica Historia præcipuo quodam jure debet, cujus peritissimus Ipse eò usque promovendæ in aliis studiosus fuit, ut (pudet sanè me tantulum a tanto Principe tanto honore dignatum) ut, inquam, me primum in hæc studia trepidum quasi pedem inferentem ipse manuducere, statis diebus, & horis ad pensum revocatum ad secretiora Ædium quamfamiliarissimè admittere, audire repetita memoriter, recognoscere exscripta, primaque omnino artis elementa dictare, primam monstrare viam, & rei universæ summam quandam rationem adumbrare, heroica sanè patientia, & facilitate, fide majore, solitus fuerit. Minuta hæc videlicet quatenus ad me pertinent, & ab Historica magnificentia longè remota; at qua parte summum illum attingunt Virum, in omni vita admirandum, parva per se evadunt statim maxima, maximi cujusque literarum monumenti dignitatem æquatura. Nec verò minus dignum inveniat locum non modò in hoc meo Commentariolo, sed in absolutissimo quocunque Historico monumento Eminentissimus Cardinalis GEORGIUS CORNELIUS, qui post egregiè obitam Lusitaniæ Apostolicam Legationem, traditam ab illo sublato ad superos Diœcesis simul, & Seminarii nostri curam ex anno 98 supra millesimum sexcentesimum ad hanc diem tenet, teneat-

que

que utinam diu, pari Episcopali diligentia, probitate, & studio literarum, humanitate, munificentia pari, quemadmodum dignitate par: qui certè non minus, quàm superior ille, sibi vendicat primam hanc qualemcunque laborum meorum messem, alterius quidem quasi Patrisfamilias satu genitam, atque altam, sua tamen cultura, & auspiciis, tanquam a stirpe excitatam lætius, & ad maturitatem perductam. Atque Is quidem conatus hosce meos, ut libuerit, excipiat, minimè sanè dignos se (tametsi quomodo accipiat non ea, qua solet in nos, & nostra indulgentia planè paterna?) mihi tamen interim apud reliquos sola tanti Principis nuncupatione cùm multum spero commendationis, & gratiæ, tum satis veniæ paratum fore. Sed ad pristinum rerum ordinem, unde parum declinavimus, revertamur. Anno 1672 Polonia a Turcis, & Tartaris invasa, Camenecia, Regni fortissimo propugnaculo, quam sæpius ante frustra tentarant, demum ab iis expugnata, Clemens pecunia, & precibus, quas ob eam rem per universum Christianum Orbem indixit, Polonis non defuit. Eo vita functo Pontificatus anno 7, Christi 1676, INNOCENTIUS XI, Comensis, *Odescbalcbus*, in Pontificiam sedem evectus, non minora Polonis ad repellendos barbaros subsidia contulit. Quibus deinde fœdifragis anno 1683 Austriam aggressis, ac Vienna arcta obsidione

cin-

cincta, ea mox Joannis Polonorum Regis virtute, & Caroli Lotharingiæ Ducis, ac summi Cæsaris exercitus Præfecti periculo liberata, idem Innocentius adversus Christianæ Reipublicæ hostem Imperatorem, ipsum Polonum, & Venetam Rempublicam fœdere junctos armavit. Ingenti ipse vi pecuniæ sacrum bellum promovit, sed frequentibus præsertim precibus; quibus Christianis exercitibus præclaris impetratis victoriis, Poloni tandem Cameneciam receperunt, Imperator universam fermè Hungariam, ac Veneta Respublica Regnum Peloponnesi suo restituit imperio. Sanctissimè, uti vixerat, Innocentius obiit anno 1689, Pontificatus 13. Post ipsum ALEXANDER VIII, Venetus, *Othobonus*, amplius annum Ecclesiam rexit. INNOCENTIUS XII, Neapolitanus, *Pignatellus*, ei successit, anno 1691, quem in pauperes misericordia clarum fecit, ac celebris ea Constitutio, qua Pontificum Propinquos Ecclesiæ bonis ditari vetuit. Innocentio anno 1700, Pontificatus 10, vita functo, ad Apostolicum solium CLEMENS XI, Urbinas, *Albanus*, est evectus, qui instructus dignis tanto Principatu virtutibus, Pastorali vigilantia singulari Catholicam Ecclesiam felicissimè hactenus pascit, & regit. Pascetque jam hinc, ac reget feliciùs in dies, sui illius prope unici jam compos voti, eaque maxima relevatus cura, ut inter filios piissi-

Seculum XVIII.

P. J. 6428. An. Christi 1715.

piiſſimus Pater poſt tot cædes utrinque, & funera tandem videret pacem reconciliatam. Quid cùm, converſis opera ſua iiſdem in perfidum Thracem armis, repetitas de barbara Claſſe victorias audiet Alter Pius, Novus Innocentius ſuo, quemadmodum illi, pro virili partas ære, precibus verò, & lachrymis magis, quàm pro virili? Tum verò lætitiæ vis immenſa ſupereffuſa clauſtra animi, ipſum exundet in corpus, novoque vigore recreatum confirmet in annos plurimos. Non tam profectò mea Vota nuncupo, quàm omnium Bonorum, atque adeo totius Eccleſiæ vota refero; quin vota ipſius Hiſtoriæ, ſimul & Politiorum artium reliquarum; quæ cùm ſe videant non modò ut peregrinas tanquam a communi Parente liberaliſſimo hoſpitio excipi, ſed etiam tanquam ab amantiſſimo Mæcenate agnoſci, coli, & foveri, ut ſuas, communibus votis præcipui quiddam, & peculiaris adjungunt. His ſuper lætiſſimis ominibus juvat, ſtylum jam prope feſſum conquieſcere, ex eaque ſpe dulciſſima primum hujuſce laboris mei profectò non modici ſolatium præcipere, gratiis tamen ante, ut par eſt, DEO OPTIMO MAXIMO perſolutis, cui ſanè, ſi quid hìc non ſine laude enixi videbimur, quantuluncunque id erit, totum utique acceptum referri volumus.

FINIS.

NOI REFFORMATORI
dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. F. *Ambrosio Lisotti Inquisitore di Padoa* nel Libro intitolato: *Notitia Orbis Sacri, & Profani ab ejus Exordio ad præsentia usque tempora Compendium: Auctore Ad. Reverendo D. Vincentio Fuga in Seminario Patavino Historiæ, & Geographiæ lectore*, non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à *Zuanne Manfrè Stampatore* che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 17. Luglio 1715.

(*Carlo Ruzzini Kav. Pr. Reff.*
(
(*Alvise Pisani Kav. Pr. Reff.*

Agostino Gadaldini Segr.

ERRATA		CORRIGE
Mefariticam	p. 32.	Merariticam
Hafpartim	p. 37.	Has partim
munitiones	p. ead.	munitiores
delatam	p. 45.	delatum
Obedom	p. ead.	Obededom
Joba	p. ead.	Soba
Jeroboamus	p. 48.	Roboamus
ejus	p. 50.	ejus filius
repugnaverat	p. ead.	regnaverat
& religione,	p. 58.	& religione.
83	p. 63.	183
habita oratione	p. 67.	habitam orationem
fatellitis	p. ead.	fatellitii
magnifices	p. 80.	magnificas
Sannæo	p. 82.	Jannæo
Biffexto	p. 85.	*Bis fexto*
parente	p. 86.	parenti
vinum	p. 95.	vino
primò fui	p. 98.	primo fui
Romanus,	p. 111.	Romanus.
ipfum expugnare	p. 127.	ipfam expugnare
ftabilitur	p. 129.	ftabiliretur
anno.	p. 131.	anno
amplexatos	p. 147.	amplexuros
exorti	p. 154.	exorfi
captiva &	p. 156.	captiva eft
feveritatem	p. 167.	fecuritatem
incunabilis	p. 168.	incunabulis
duodecimo	p. 169.	decimo
Nicolaum	p. 171.	Poft Nicolaum
anno	p. 180.	anno 5
cępit	p. ead.	cepit
Epifcorum	p. 187.	Epifcopum
invictus	p. 188.	invitus
extincto,	p. 192.	extincto
ab Antipapa eft	p. ead.	ab Antipapa Imperator eft
petiit	p. 200.	petiit anno
Octaviano	p. ead.	Octaviano anno
Callifti nomine	p. ead.	Callifti III. nomine.
peracta,	p. 206.	peracta.
æftatem	p. 207.	æftum
vendicaturus	p. 210.	vindicaturus
factionis, Cardinalibus	p. 223.	factionis Cardinalibus
1339.	p. 228.	1439
concilium	p. 234.	confilium
Pfeudofynodis	p. ead.	Pfeudofynodi
Quadragimæ	p. 242.	Quadragefimæ

MAG 2012228

Digitized by Google

Digitized by Google